Annotatio-
NES HVBERTI SVSSAN-

næi, in cõtextum totius artis Verſificatoriæ, quã Io. Deſpauterius carmine complexus eſt.

Adiectũ eſt Epithalamium D. Michaëlis Hoſpitalis & D. Mariæ Morinæ.

Item Ecloga Syluius inſcripta, & Carminum Farrago.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SECVNDA AEDITIO.

PARISIIS.
Apud Simonem Colinæum.
1543

35.2.A.14

❧ Spectatiſſimo viro D. MICHAELI HOSPITALI CONSILIARIO REGIO, *iuriſperitorum eloquentiſſimo, & eloquentium iuriſperitiſſimo* H. *Suſſannæus* S.P.D.

S*Vperiore proximo anno (Senator ſanctiſſime) meas in artẽ Deſpauterij Verſificatoriã Annotationes, tuo nomini nũcupatas, peruulgaui tuo permiſſu, atque ſtudioſis ædidi. Sed ecce, vix æditus in lucem, & ſuſceptus partus meus ab omnibus vlnis (vt aiunt) obuijs accipitur, paſſim in gymnaſijs prælegitur, & intra annum quicquid excuſum erat, à bibliopolis diſtrabitur. Quod ego ſanè memorabilis famæ tuæ* Genio *acceptũ planè refero. Quis enĩ nõ*

ſtatim, etiam nondum inſpecto opere, dignū quiddam & auribus & oculis exiſtimaſſet, quod viro tam excellenti & docto dicatum eſſet? niſi fortè temerarius iudicer, qui rem tantam tum inconſultè tum incōſideratè attentarim. Eam *certè conſecutus es celebritatem ſermonis hominum, vt quicquid ſemel approbaueris, omniū plauſibus & approbatione dignum cenſeatur, nec profectò iniuria.* Paucos *enim noſtro tempore proferre poſſumus, qui veteres* S. *Sulpitios*, Mutios, C. *Aquilios*, *Sex.* Aelios, P. *Scæuolas*, M. *Manilios*, & M. Brutos *exprimant: quorum tamen omniū laudes clariſſimas, vt taceam liberalium artium ſcientiam, ad te ipſum trāſtuliſti.* Tua *domus ſine dubio totius eſt oraculum ciuitatis.* Vnde *quòd tam diligenter in iure caueris, conſilio iuueris, atq; hoc ſcientiæ genere profueris q̄plurimis, magnam gratiam es conſecutus, & tecum multorum conſuetudinem & amicitiā iunxiſti.* Ob *eam rem* D. Ioannes Morinus, Propr*æ*tor Lutecianus *tecum affinitate ſeſe*

deuinxit, tibi filiam ſuam Mariam Morinam collocauit. Nec ille ſanè iudicio errauit, vt qui diſciplinas laudatas & ingenuas rebus omnibus facilè anteponat. Quod ipſe cũ multis omni aſſeueratione affirmare poſſum. Me enim quãuis infra mediocritatem literatum beneficijs q̃plurimis complexus eſt iam olim, & quotidie apud me, gratum tamen, lõgè maiora ponere eſt paratiſſimus. Quúmq; remunerandi nulla mihi conſtaret ratio, meis verſibus, quibus impenſè delectatur, tot meritorum memoriam immortalem dedi operam vt redderem, ſi poſſem. Poſſum mehercule dicere de ipſo, quod Virgilius de ſuo Varo:

Nec Phœbo gratior vlla eſt,

Quàm ſibi quæ Morini præfixit pagina nomen.

Et quia noſtra libenter legit, & perſpectiſſima erga me beneuolentia meos labores quamlibet tenues mirificis præconijs effert, cum illo communicare dignaberis Epigramma, quod nõ ita pridem de eo luſimus. Id verò tale eſt:

Vt Morinę, apparet, geminæ pulcherrima laudes
    Cultori faciunt emolumenta ſuo.
Vna dei cultu conſtat pietate, fidéque:
    Altera principibus laus placuiſſe viris.
In te collucent miris fulgoribus ambæ,
    Gratus es ipſe Deo, principibúſque viris:
Qui te virtutis ſtudioſum ſemper honore
    Ornarunt, meritis conuenientc tuis.
Inter Pariſios longum ſtes fauſtus in æuum,
    Felices maneant te quoque ſtante diu.

¶Commemorarē plura alia beneficia bene ab eo collocata, virorum doctorum & adiutore & amatore, niſi ad inſtitutum properaret oratio. Non tibi fuerat ſatis celeritate quadam ingenij (Senator integerrime) ſummam dicendi copiam aſſequi, niſi iuris ciuilis intelligentia, atque omni prudentiæ genere præſtares. Et id profectò iuſtis de cauſis. Nā qui eloquētiæ veræ dat operam, dat prudentiæ. Nec dicere quiſquam bene po-

teſt, niſi qui prudenter intelligit. Vt itaque iuris ciuilis omnium peritiſſimus eſſes, eloquentiámque cum ciuili prudentia iungeres, in Ita*liam, vbi bonarum artium ſtudia ſemper viguerunt, te maturè contuliſti, quò altera alterius acceſſione laus fieret illuſtrior, & loquendi conſuetudo vnctior.* Nam *vt hominis decus, ingenium: ſic ingenij lumen, eloquentia: porrò eloquentiam nunquam deficit earum rerum, quibus reſp. conſtituũtur, ſcientia. Cæterũ in* Academijs Italicis *tantum operæ in diſciplinis laudatis poſuiſti, vt in vno* Tullius, Maro, Ouidius *&* Scæuola *renati eſſe viderentur.* Cũ *iã magnũ munus reſpondendi de iure ſuſtineres,* Virgilianã *eſſes maieſtatẽ &* Ouidij *felicem facilitatem canendis verſibus aſſecutus, &* Ciceronis *formã ornatè dicendo effigeres.* Tuæ *Suadæ locupleseſt teſtimoniũ, quòd frequenter naturali terſæ dictionis nitore, miniméque fucato,* Bononienſium *animos mira voluptate perfuderis, & incredibili ſuauitate hilaraueris, non approbationes*

ſolum, ſed admirationes, plauſus, clamores moueris. Hubertatem & copiam tuam ſuſpexit vniuerſa Italia. Atque hoc dico teſte D. à Reuilliaſco Gratianopolitano Officiali, viro grauiſſimo doctiſſimóque & tui amãtiſſimo: cui viciſſim ſic reſpondes, vt nullum par amicitiæ vnquam fuerit in toto Orbe coniunctius, quàm fueritis ipſi inter vos: vt facilè vobis ceſſuri ſint Pythagorei duo, & Oreſtes & Pylades, cæteríque magnifica laude amicitiæ celebrati. Ille nobis frequenter lachrymis præ gaudio profuſis narrare ſolebat, quã tu aſſiduitatẽ & diligentiam ad omnes bonarum rerum diſciplinas adhibueris. Eáque res tantum ad phraſin profecit, vt quæcunque veniunt in mentem, poſſis ex tempore tam eleganter promere, quàm ſcripto alij ſuas cogitationes mandent. Quid in præſentia commemorem quot ſint tibi honores ob aſſiduam literarum tractationem habiti? Ad te Senatus Pariſien. maximas difficillimáſque cauſas vltro defert, tuæque cenſuræ committit.

Memini cum agerē Gratianopoli neſcio quid rumoris afflatum de te futuro primo curiæ præſide. Tum ibi quæ exultatio! qui gaudiorum triumphi! id omnes votis omnibus cupidè auebant. Pòſt cum renunciatum eſt te Lutecia nolle auelli, repentè verſa ſunt cādida in nigra, ingens triſtitia omnium mentibus oborta eſt, vt nec id clàm præ ſe ferrēt. Ex his quæ dixi, quod curriculum ſis habiturus, procliue eſt augurari. Sed quorſum hæc? inquies: vt tibi nuncupādi iſtius opuſculi cauſam explicaremus. Cùm enim memoriam ingenij mei in poſterum deſiderarem, vnus occurriſti, cuius tutela & patrocinio, vt iam res ipſa declarauit, id obtingeret. Opus eſſe tenue obijcient nonnulli, & potiùs obliuione dignum obrui, quàm tāto viro dedicari. Si quid à me peccatur, immodico tuæ virtutis amore peccatur, vnde faciliùs veniam promeriturū ſpero. Exemplis etiam aliorum me tuebor. Ant. Nebriſſenſis grammaticam Iſabelæ Hiſpaniarū reginæ, Neſtor dictionarium Lud.

Sphortiæ, Tortellius commẽtaria de Orthographia dictionum Nicolão Quinto Pontif. maximo, Pyrrhus Perottus Cornucopiæ principi Federico, M. Varro opuſculũ de Analogia & verborum Origine M. Tullio Ciceroni, & pleriq; alij ſuas lucubrationes etiam leuiculas ſummis viris nuncuparunt. Cæterum mei cõſilij in his adnotandis rationem habeto. Ego Deſpauterij cõmentaria potiùs locupletari quàm coarctari cupiam, quia nondum perfectè abſoluta eſt ars Verſificatoria. Quo fit vt mirer quendam ludi magiſtellum Deſpauterij Grammaticen contraxiſſe, cognitu neceſſarijs flagitioſè inductis & obliteratis, & non perinde vtilibus iuuentuti obtruſis. nos artem malumus commodè amplificare, quàm neceſſaria cum periculo & iactura ſtudioſorum ſubtrahere. Mirarer etiam peranguſtè refertas traditiunculas in vulgus eſſe gratas, niſi ipſum ex veritate pauca, vt tradit Cicero, ex opinione multa æſtimare ſoleret. Itaq; nos quæ legendis bonis autoribus conſecuti ſu-

mus, huc contulimus, non vulgaria illa quidem, neque extrita. Vale. Pariſijs, Ex ædibus Simonis Colinæi, anno à ſalute mortalibus per Chriſtum allata, 1543. Nonis Iulijs.

☙ *Attexuimus Epithalamium tuum & vxoris lectiſſimæ Mariæ Morinæ. Venit fortaſſis in lucem poſt nuptias, vt habet verbũ vetus, viuit tamen hodie carmen à Catullo compoſitum de nuptijs Iuliæ & Manlij, & à Papinio Stellæ & Violantillæ: licet iam illi olim conceſſerint in fata. Iterum vale.*

EPITHALAMIVM D. MIchaëlis Hoſpitalis, Senatoris optimi in ſuprema Pariſiorum curia, & D. Mariæ Morinæ, fœminæ lectiſſ.

VXOREM *ducit Mariam plaudente Michaël*
Numine, proſper Hymen, ô Hymenæe, veni.
Ex Helicone ſacro demigrent ordine Muſæ.
O verax Pæan aurea plectra move,
Pulſator citharæ vocales concute fontes,
Cultorique tuo ſacra toróſque para.
Floribus heroëm Charites conſpergite lætis,
Fer vultu petulans huc Elegia pedem.
Pallas ades, nubit tua Morina, nec bona Iuno
Deſit. ſed violis tempora cingat Hymen:
Pellat humum pedibus, ſoccus quos luteus ornet,
Flammiferam pini concutiátque facem.
Morina talis adeſt, qualem ſeſe ore ferebat,
Ad Phrygium vênit cùm Venus alma Parin.
Dixeris, expendas ſi celſæ frontis honores,
Cypridi proſiluit dulcis imago Deæ.
Hoc ſed ab Aeneæ Mariam diſtare parente
Cernimus: hæc caſta eſt, non Dea caſta fuit.
Adiunxit formæ morum decus. aſpice vultus
Lumine demiſſos, qui probitate rubent.
Exprimit illa ſui ſpeciem moréſque parentis.
Proprætor proles Morine, vera tua eſt.

O Hymenæe, domo dominam duc, ritè vocatam,
Vt bona nubat Hymen, alite virgo bona.
Connubij tacitos inſpiraturus amores,
In thalamum Morinam duc Hymenæe, manu.
Elyſio mentes qui dulcis amore reuincis,
Compede iucunda necte Cupido, duos:
Hac vt & hac hederæ errantes, multúmque tenaces
Arboreos ramos implicuiſſe ſolent.
His incumbe Puer vehementiùs, & face corda
Bina iuga calida, iunge perennè toros.
Cuſpide fige duos. pariter confixerit ambos
Non fruſtrata leui miſſa ſagitta manu.
Vrgentem ſummiſſa iugo te virgo iugali
Perferat, Aonio digna tepere viro.
Vxorem ducit Michaël gaudente Senatu.
Condidit hunc albo vellere Parca diem.
Indulge thalamos ò Hymen Hymenæe, cupitos,
Serta fer, & iuuenum fulcra toróſque preme.
Te ſine nulla domus dat natos, téque volente
Virgineos ſoluet zonula laxa ſinus.
Te ſine nil Venus alma poteſt, quod fama probarit,
Aedibus è patrijs ſit data virgo viro.
En prodi noua nupta nouo placitura marito.
Quin prodis, cum ſit ire neceſſe tibi?
Exerce formam, deme ocia pigra iuuentæ,
Donáque, ſi ſapias, mox fugitura cape.
Nulla pericla tibi, ne fœmina pulchrior vlla
Viderit Oceano manè venire diem.

Diuitis in vario ſtat flos hyacinthinus horto
Talis, & alba rubris Lilia mixta roſis.
O præſtans Michaël iuris legúmque perite,
Te Venus & Pallas, te bona Iuno iuuat.
Signifero vatum plectrum tibi donat Apollo,
Et molles calamos cum calamiſque lyram.
Hinc tibi ſubtexunt myrto Phœbúſque Venúſque
Florentem Laurum, munera grata ſibi.
Ambo præſentes celebrant genialia tecta,
Et thalamo quatiunt iam coëunte facem.
Naſcatur docilis, patrique ſimillima proles,
Matris demonſtrans ore pudicitiam.
Laus genus à genitrice probet laudabile caſta:
Qualem Telemachus Penelopæus habet.
Vxorem ducit Morinam plaudente Michaël
Numine, proſper Hymen ô Hymenæe, veni.

AD FRANCISCVM MORINVM.

NOSTRATES *inter iuuenes cognomine dignus*
Felicis, ſolus penè videre mihi:
Ex his quod rebus, quas elargita benignè
Eſt Fortuna tibi, plura datura, liquet:
Sed non illa quidem malefida, volubilis, anceps,
Inſidioſa, procax, inuida, bruta, bifrons,
Aſt adiuncta tibi diuinitùs omnibus annis:
Quæ magis inque dies amplificanda venit.

Aeditus es Franciſce, ſatu genitoris, honores
Gallia cui magnos grata memórque dedit.
Vitam Pariſij quo proprætore quietam
Traducunt, cedunt turbáque víſque loco.
Præcipuè ſtudijs redijt vigor. illius ora
Grex graſſatorum ſuſtinuiſſe nequit.
Quid dicam de matre tua ſanctáque probáque,
Quæ pridem redijt venerat vnde priùs?
Venerat ex aſtris animus radiantibus, æuum
In cælo cum Dijs hîc quoque rurſus agit.
Perſonam matris pater optimus induit, idem
Accedit genitor matris ad ipſe vicem.
Muneris ut cumulum afferret Fortuna, regendum
Tradidit inſigni te probitate viro:
Eſt Morinus patri cognominis ille, Nauarræ
Gymnaſiarcha, tui, ceu pater alter, amans.
Ad te tranſiuit Sors aurea (voce loquamur
Vt veterum) tua ſit teſſera ſumma boni.
Tunc in membranas cæleſtis Iuppiter aulæ
Reſpexit, primo cum fruerêre die.
Conſertis igitur manibus complectere munus,
Et tibi quod niueus calculus addit, habe.

Ad eundem Parænesis.

Ne Franciſce, libros habeto multos,
Sed paucos, tamen optimos, quibúſque
Aeuum ſufficiat tuum legendis.
Cum primis tibi fac familiares

Semper virgiliúmque Tulliúmque,
Et accedere quos vtrique noſces.
Doctum ſe Philomuſus æſtimabat,
Libris bibliotheca quòd referta
Coëmptis foret. hanc inanitatem
Mi Franciſce caue, tenénſque pulchrum
Delectum, lege qui replere pectus
Doctrina poterunt ſcientiáque.
Diligi decet vnicè magiſtros,
Vt ipſum ſtudium ſacráſque muſas:
Illos credito mentium parentes.
Cum paucis tibi ſit neceſſitudo
(Quos perſpexeris antè) conſtituta.
Tecum conſilium ſagax habeto
Clauſum, nam patefit periculoſè.
Sed complectere charitate quenque
Concordi: patientia quieta
Ornatus, placido fruêris æuo.
Plura à me documenta pòſt capeſſes,
Mox vt contigerit virilis ætas,
Hæc ſat erudient tuam iuuentam.
Viues pacificus, quietus, inſons,
Cum condiſcipulis, proinde felix.

173

Annotatio-
NES HVBERTI SVSSAN-NAEI IN QVANTITA-tes Deſpauterianas.

NOVERVNT Grāmaticorum filij, atq; adeò nepotes, literam, partem eſſe minimam vocis compoſitæ, hoc eſt, conſtantis ex compoſitione literarum, & vocem eſſe, quę ſcribi poteſt indiuiduā. In quam ſentētiam Capella: Vt enim in Rhythmo tempus, in Arithmeticis monas.i.vnitas, in Geometricis punctum, ita in Grāmaticis litera, eſt diuiſionis expers. Et Sergius: A philoſophis litera atomos dicitur, quòd non habeat à quo ſoluatur. Nam cum omnis oratio, in verba ſoluatur, verba in ſyllabas, ſyllabæ in literas, litera ſola nō habet à quo ſoluatur: ideo minima pars vocis articulatæ à Donato dicitur. Quantum etiam pertinet ad comprehenſionem vocis literatæ, ad hanc etiam productæ vocales, breuiſſimæ partes inueniuntur. vel, quòd omnium eſt breuiſſimum eorum quæ diuidi poſſunt, id quod diuidi non poteſt. Literā autem (autore Priſc.) etiam elementi vocabulo nuncupauerunt ad ſimilitudinem elementorum mundi. Sicut enim illa coëuntia omne corpus perficiunt: ſic etiam

literæ coniunctæ literalem vocem quaſi corpus aliquod componunt,vel magis verè corpus.Nã ſi aër corpus eſt, & vox quæ ex aëre icto conſtat,corpus eſſe oſtenditur.quippe cum & tãgit aurem,& tripertitò diuiditur,quod eſt ſuũ corporis, hoc eſt in altitudinem & latitudinem, & longitudinem. vnde ex omni parte poteſt audiri. Altitudinem quidem habet in tenore.i.accẽtu, craſſitudinem verò & latitudinem in ſpiritu,longitudinem in tempore.Porrò ſyllabam literarum eſſe comprehenſionem, & conſequentem,ſub vno accentu, & vno ſpiritu prolatam nulla non docet literatorum ſchola, & abuſiuè ſingularũ vocaliũ ſonos,ſyllabas nominari.Nos verò illa, vt puerorum dictata omittentes,quæ ſunt hui⁹ inſtituti perſequemur,rectã methodi viam ingreſſuri. Nunc igitur quia ſyllabarum Quantitates ſumus vberiùs,quàm vlli antea,cõ ſcripturi, vnde hoc nomen ductum ſit, aperiemus.Non enim mihi videntur verſificatoriæ artis ſtudioſi regulas Quantitatum ſatis fideliter percipere poſſe,niſi priùs vnde ſyllabarum Quãtitates dicantur,didicerint, quod eſt noſtræ doctrinæ caput.Quò fit,vt mirer à veteribus grãmaticis eius rei rationem nullam fuiſſe habitã. Is autem noſtri operis ordo ſeruabitur,vt expoſitis de ſyllabarum vi, quæ ad hunc locum pertinent,& de pedibus,qui ex ſyllabis conflantur, aliquot datis præceptis, ad metrorum vſitatiorum tractatum progrediamur, à quibus artem ſuam Deſpauterius eſt auſpicatus.Primùm itaque cur ſyllabarum Quantitates inſcribantur,

& apto titulo appellentur, oſtendamus. Oratio Quantitatis ſpecies eſt,quia numerat voces,modos, & ſonos, proinde eius natura non eſt abſimilis numero. Deinde ipſæ orationis ſyllabæ tũ breuitate longitudinéve,tum ipſa prolatione ſeparantur:quinetiam ſcriptura,vt per quam oculi eas facile diſcernant atque diſtinguant. Item omnis modulus, quo dictionem, dum proferimus,menſuramus, eſt quantitatis diſcretæ: per quam ſyllabæ breues longæve menſurãtur. vnde Ariſtoteles Pręd.6.ſic ſcriptũ reliquit:Quòd etenim Quantitas eſt oratio, manifeſtum eſt, menſuratur enim ſyllaba breui & longa. Dico autem voce orationem factam. Ad nullũ enim communem terminum particulæ eius copulantur:non enim eſt communis terminus ad quem ſyllabæ copulentur,ſed vnaquæque diuiſa eſt ipſa ſecundum ſeipſam.hactenus ille. Quem locũ ſic interpretatur Stapuleñ. Diſcretam Quantitatem vocat Ariſtoteles orationem in voce factam,vel potiùs ipſum orationis in ſuarum ſyllabarum accentu tenorem, nunc extendendo, nunc contrahendo. Diſcretam autem:quòd ſyllabæ illæ,quarum quædam extenſæ,quædã contractę proferũtur, adinuicem nullo colliminio, nullóque communi vinculo ſocientur. Et tenorem orationis definire poſſumus, eſſe ſyllabarũ orationis extenſionem contractionémve, ſic & ipſam quoque Quantitatis orationem. Deinde Boetius Orationem quantitatem eſſe dicit, idcirco quòd omnis oratio ex nomine & verbo conſtet.ſed hæc ſyllabis cõſtant. Omnis autem

ſyllaba vel longa vel breuis eſt. Longum verò vel breue ſine vlla dubitatione quantitas eſt. Quocirca quod ex quantitatibus conſtat, id quantitatem eſſe quis dubitet? At verò oratio ipſa cum ſit quantitas, illa quoque diſcreta eſt. Cũ enim dico Cicero, quod orationis eſt pars, partes huius nominis ci, & ce, & ro, nulli communĩ termino coniunguntur, nõ enim reperimus quo communi termino ci ſyllaba, ad ce ſyllabã, vel rurſus ce ſyllaba ad ro ſyllabam coniungatur. Quocirca etiam oratio quantitas videtur eſſe diſcreta. Et Ammonius: Diſcreti ſpecies ſunt oratio & numerus. Eſt enim oratio & quantum, & diſcretum quantum. Quantum quidem, quoniam ſyllaba breui & longa eam metimur: Diſcretum verò quoniam ſyllaba quæuis propriam circunſcriptionem habet: poſſumúſqꝫ ſyllaba vna prolata ſupprimere alteram. Verũ oratio non ſimul tota ſubſiſtit, nam pronunciata ſyllaba, quæ ſequuntur dicenda nequaquam expectat, ſed priùs interijt prima, quàm ſecunda prodierit. Paulòpoſt: Oratio quoque, inquit, diſcretum eſt quantum. Nam neque orationis partes, ſyllabas inquam, per cõmunem terminum quempiam continuari cernas, ſed circunſcripta quælibet eſt. Orationem autem dicit Ariſtoteles quæ cum voce fit: quandoquidem oratio altera pronunciatiua eſt, altera interiùs inſita, quę in animo ſpectatur, ob id de pronunciatiua ſe oratione loqui admonet. Nam interior ne quãtum quidem eſt omnino. Verùm ſi quidpiã eſt, animi qualitas proculdubio eſt. Non alienum

eſt quod tradit Simplicius: Sermonem ait eſſe quanti diſtincti:ſermonem intelligendum non eum qui in mēte,ſed eum qui in voce.Iſte enim eſt quantum.Omnis enim ſermo ex nominibus, & verbis conſiſtit.Omne autem elemētum ſermonis eſt ex ſyllabis.Omnis autem ſyllaba temporibus menſuratur,ſcilicet longo tempore aut breui.Longæ autem ad breues habent rationē, quam habent duo ad vnum. Vnum autem & duo,numerus ſunt.Numerus vero,quantum diſtinctum eſt:quare & ſermo diſtinctus. Etenim in hoc nihil eſt accipere commune quod copulet ipſas partes, velut in hoc,Socrates,nihil eſt commune ſyllabarum accipere,quod copulet ipſas adinuicem. Sic igitur in voce ſermo diſtinctus eſt. Qui autem in mente neque quantum omnino,ſed aut actus,aut paſſio aut vtrunque, vt ait Iamblicus. Porphyrius tamē dicit ipſum eſſe quale.Poſtremò ab accidētibus ſyllabæ facilè intelligi poteſt,vnde dicātur ſyllabarū Quātitates.vnicuiq; enim ſyllabę accidunt ſpiritus, lenis & aſper:tenor,grauis,acutus,circunflexus: tempus, vnū duo,vnū ſemis,duo ſemis, & tria: literarū numerus,ſingularis & pluralis, quia cōſtare poteſt ſyllaba ex vna ad ſeptē literas, vt a, ab,abs,ſcops,ſcrops,ſtirps,ſtrās,ſtriglx, apud Vitruuium. Ergo nō minus quàm vnius,nec plus quàm ſeptē literarū inueniri poteſt ſyllaba. Ea autem accidentia ſpecies ſunt quantitatis,licet diuerſæ, & hìc potiſſimùm de diſcreta agitur. Eſt itaque hoc loco Quantitas,vniuſcuiuſq; ſyllabæ longitudo vel breuitas. Non deſunt tamē

qui ſyllabas qualitati ſubijciant, quòd oratio videatur voci ſubijcienda, quæ inter qualitates reponitur: quòd qualitates ſint formæ omnes, quæ ſenſibus ſubiectæ ſunt præter quantitatem,& auditum moueat ſonus & vox. Accidit enim voci auditus quantum in ipſa eſt, autore Priſciano. vnde quidam, vt ſcribit Diomedes, tria vocis officia deſignant, eloquium, tinnitum, ſonum. veteres tamen omnes ſonos voces dixerunt, vt, fractáſque ad littora voces. Cęterū Quintilianus 11. cap. 3. ait: Natura vocis ſpectatur quantitate & qualitate. Quantitas eſt ſimplicior. In ſumma enim grandis aut exigua eſt, ſed inter has extremitates mediæ ſunt ſpecies,& ab ima ad ſummā ac retrò multi ſunt gradus. Qualitas, magis varia. Nam eſt & candida & fuſca,& plena & exilis,& lenis & aſpera, & contracta & fuſa,& dura & flexibilis,& clara & obtuſa. Quin etiam Varro ſyllabarum qualitates recenſet, cū ait: Syllabæ aliæ ſunt aſperæ, vt, trux, crux: aliæ lenes, vt, lana: aliæ proceræ, quæ vocalem habēt longam penultimam, vt facultas: retorridæ, quę mutam habent extremam, vt, hic, hæc, hoc: barbaræ, vt, gaza: Græculæ, vt, hymnos, Zenon: duræ, vt, ignotus: molles, vt ædes. Quæ lis vt dirimatur, non eſt animaduerſione indignum, quod adnotauit Stapulenſis, rem plerumque pluribus prædicamentis accommodari, communémque eſſe: ſed ratio eam facit propriam. Sic orationis tenor, quæ vox eſt,& quantitati & qualitati cōmunis eſt, ratio enim quantitatis adueniēs, eam quantitati adiungit, vt cum tenor orationis ap-

pellatur. Eſt enim tenor, quædam ſyllabæ orationis longitudo vel breuitas. Et cum ratio qualitatis aduenit, qualitati appropriat, vt cum vox dicitur, ideò vox ꝓpriè qualitas eſt, & tenor vocis propriè quantitas. Ea tamen res, quæ vox eſt, quia qualitati familiarior eſt, plurimáſq; in ea rationes habens, ideò magis qualitas, quàm quantitas nominari ſolet. vix enim ei in quantitate nomen vnum, ratióque propria reperitur: niſi forte nomina quædam, quæ grammatici conſiderant, huic ſignificationi accommodata duxeris, qualia ſunt Choriambus, Pyrrhichius, Spondeus, Trochæus, & huiuſmodi, quæ vocis menſuras, quantitatéſque deſignant. his animaduerſis procliue eſt cognoſcere quare & quánam tenus dicantur ſyllabarum Quantitates, quod ab alijs verſificatoribus fuiſſe ſilentio præteritum miror. Eius certè rei cognitio maximam claritatem cæteris artis præceptionibus, meo iudicio, adferet. Lõgè plura de ſyllabis à me in præſentia dicerentur, niſi grammaticorum clamoribus eſſent valdè trita. Illud obiter obſeruabimus, tẽpus, quando ſyllabæ accidit, accipi pro debita prolationis morula, ſpatio, & menſura. Syllabæ verò quando contrahuntur, vnicum obtinent tempus: quãdo ſunt porrectæ, duo. Quod ſic eſt habendum, tantum moræ conſumi in vnius lõgæ, quantum in duarum breuium prolatione, id eſt, longam vocalem perinde vt geminam debere pronunciari. Quo factũ eſt (autore Quinti.) vt veteres vſq; ad Acciũ & vltrà, porrectas ſyllabas geminis vocalibus ſcriberent. Dicitur &

communis ſyllaba,cum eſt longa in breuem vel contrà certis obſeruationibus verſa:ídq; in metro,nam in proſa oratione non itidem. Quando ſyllaba recipiat tempus vnum , vel duo, vel vnùm ſemis, vel duo ſemis, vel tria, præſens in tempus omitto . Cum ex ſyllabis pedes conficiantur,& ex pedibus Carmen(vt ait Terentianus)Pes etenim ſpeciem metri nunquam facit vnus , nunc de pedibus dicendum videtur. Pes tunc dicitur,quandò duę,non tantum vna,ſunt ſyllabæ.nam vnica etiam longa,pedem non efficit,quoniam arſin & theſin quęrimus,vbi duę ſyllabæ,non vbi duo tempora ſunt.Terētianus: Vna longa non valebit ædere ex ſeſe pedē:Ictibus quia fit duobus non gemello tempore.Breuis vtrinque ſit licebit,bis feriri conuenit:Parte nam attollit ſonorem , parte reliqua deprimit. Pes ſimplex nō conſtat pluribus ſyllabis,quàm tribus:alioqui duplex,vel compoſitus, vel combinatus vocatur. Definietur autem hoc modo: Pes,eſt ſyllabarum conſtitutio metrica.vel:pes, eſt poëticæ dictionis , duarum ampliúſve ſyllabarum cum certa temporum obſeruatione modus, recipiens arſin & theſin, id eſt , qui incipit ſublatione , finitūr poſitione. Sed arſis & theſis ſunt non in ordine ſyllabarum, ſed pronunciatione: velut in natura cum dico natu, eleuatur vox,& eſt arſis in tu:quando verò ra,deprimitur vox,& eſt theſis de tu. Quantūm ſuſpendit per arſin,tātum deprimitur per theſin.Sed ipſa vox quæ per dictiones formatur,donec accētus perficiatur,in arſin deputatur:quæ autē poſt accen-

tum ſequitur, in Theſim. Et ictibus duobus, id eſt duplici & gemina percuſſione, arſis & theſis non gemello tempore perquirenda eſt: quia, vt dixi, vna longa pedem non valebit efficere. Pedi accidunt vnicuique arſis & theſis, numerus ſyllabarum, tempus, reſolutio, figura, metrum: quorum rationem, ſyzygias & hiſtoriam ex tertio Diomedis libro ſumas, licebit. Reſolutio autem accidit pedi cum longa ſyllaba ſoluitur in duas breues. vnde Spõdeus tres recipit, ſi ſoluas priorem, fiet Anapæſtus: ſi poſteriorem, Dactylus: ſi vtranque, Proceleumaticus. Pedes autem dicti ſunt, quia quemadmodum pedibus ingredimur, ita & verſus quibuſdam quaſi pedibus metimur, vel potiùs: incedere videntur, potiſſimùm dum ſcanduntur. hinc etiam ſcandi dicuntur metra, quia tractando ſingulos metri cuiuſque pedes, veluti ſcalarum gradus videmur aſcendere, ac gradatim incedere viciſſim mouendis pedibus diſtinguẽdis ac dimetiendis, ídq; μεταφορικῶς. Latini hoc nomen, vt pleraque alia, à Græcis ſumpſere: nã quod illi podas, nos pedes dicimus. Dicti autem pedes ſunt, ob æqualitatem quandam ac veluti conuenientiam motus, ἀπὸ τοῦ βαίνειν. βαίνειν autem non tam ire ſignificat, quàm cum quadam ratione & veluti harmonia moueri. Definitur autem ſcanſio, metri in ſingulos pedes diſtinctio ac dimenſio. Atqui breuiter Scanſio, eſt metiri verſus & numerare pedes. Adhibenda cautio eſt, ne dum orationem pedeſtrem audimus, ſtatim pro ea, quæ conſtat pedibus, accipiamus. Quintilianus 10. de Plato-

ne loquens: multum ſupra proſam orationem, & quam pedeſtrem Græci vocant,ſurgit. Quem locum Budæus quadam epiſtol. ad Salm. Macrinum declarat, his verbis: Proſam & pedeſtrem orationem,eandem eſſe intelligo:ita vt &, coniunctio ſit μόνον διασαφητικόν. ſiquidem Græci πεζὸν λόγον proſam orationem vocant, quaſi peditem ſermonem, & πεζολόγους, hiſtoricos. neque verò id vocabulum à pedibus metricis inditum eſt,ſed aliquid humile ſubmiſſúmque denotat,ſignificatione præcipua, niſi fallor, quaſi dicas humi gradiens,quódq; nec carminis ſublimitate vehitur,nec figurata numeroſáque oratione nititur: etiamſi in vniuerſum vſurpari ſoleat pro omni oratione ſoluta lege carminis.ſed humilitas iſta & ſubmiſſio intelligenda videtur in pronunciatione ac vocis temperamento,magis quàm in ſtructura aut elocutione, tum quidem certe cum proſam orationē in vniuerſum hoc vocabulo ſignificamus. Argumentum huiuſce opinionis illud Horat. in arte poëtica eſſe poteſt:Interdum tamen,& vocem comœdia tollit,Iratúſque Chremes tumido delitigat ore, Et Tragicus plerunque dolet ſermone pedeſtri. vbi Ianus Parrhaſius exponit:pedeſtri,id eſt humili, Comico,cōparatione equeſtris. Cicero in Perf. Orat. Itaque video viſum eſſe multis Platonis & Democriti locutionem, etſi abſit à verſu, tamen quòd incitatiùs feratur, & clariſſimis verborum luminibus vtatur, potius poëma putandum, quàm poëtarum Comicorum: apud quos niſi quòd ſunt verſiculi,nihil eſt aliud quotidia-

ni ſermonis diſſimile. Terentianus de Cretico: Optimus pes & melodis & pedeſtri gloriæ. Plurimum orantes decebit, quando penè in vltimo Obtinebit ſedem, beatá terminet ſi clauſulam δάκτυλος, σπονδεῖος imam, nec τροχαῖον reſpuo. Bacchicos vtroſq; fugito, nec repellas Tribrachyn. Plenius tractatur iſtud arte proſa Rhetorũ. ¶Vbi per melodas vel melicos intelligemꝰ eos, qui ſequuntur Rhythmos & modulos orationis numeroſos, ꝗ Rhetores & Oratores ſunt. Idem Terent. Sed qui pedeſtres fabulas ſocco premũt, id eſt, quę pedeſtri orationi ſeu proſæ ſimillimæ eſſe videntur. Soccus autem pro mediocri genere dicendi accipitur. Et Priſcianus in metris comicis tradit multos iudicaſſe comœdias non conſtare verſu. Lucianus: nihil autem Tragœdiæ ſimile, ſed pedeſtria omnia populariáque, citra faſtum prorſus & elationem. Nam carmen ſuis numeris, quaſi equis iũctis tollitur, celeriúſq; incedit oratione proſa in vniuerſum: vtpote cum ipſa proſa intra ſermonis pronũciationem cohibeatur, etiam ſi ſit grãdiloquentior ac ſuapte ipſa grauitate ſublimior. Neque enim in canticum effertur, vt poëma. Sunt alioqui proſæ orationis genera duo, Fabio autore, cum lib. II. ita ſcripſerit: Etiam quæ bene compoſita erunt memoriam ſerie ſua ducent. Nam ſicut facilius ediſcimus verſus quàm proſam orationẽ, ita proſam iunctam quàm diſſolutã. Sypõtinus: Pedeſtris etiam oratio harmoniam habet, quod facile perſpici poteſt, cum orationum alia ſolutior ſit, alia numeroſior. Ijſdem pedibus conſtat

oratio ſoluta quibus carmen,niſi quòd nõ æquè certis legibus inter ſe iunguntur. At pedes conſtant ex breuium ac longarũm ſyllabarum inter ſe connexione. Rurſus diſcrepat à breui longa porrectiore mora pronunciandi. Quibus verbis conſtat pedeſtrem orationem non eſſe propriè orationem pedibus iunctam aptámque oratorijs, & ita compoſitam, vt faſtigium orationis excedat. Non eſt mihi animus omnes pedum figuras perſequi, ſed eos tantum attingere, qui verſibus ijs includũtur, qui à Deſpauterio commemorantũr. Primus itaque omnium erit nobis Pyrrhichius, qui locum habet in verſu Aſclepiadis. Is conſtat ex duabus ſyllabis breuibus, ante enim breuis quàm longa ſyllaba reperta eſt, vt priùs vnum quàm duo. Ideo autẽ Pyrrhychius dictus, quòd calore velocitatis tripudio mobilitatis apices flammarum æmularetur. vel dicitur à Pyrrho Achillis filio, vel à Pyrrhicha. De Pyrrhicha Plato 7. de leg. Motus Pyrrhiches imitatur corporũ flexus, quibus tela plagæq; vitãtur, declinando, concedendo, exiliendo in altum, humíque ſe contrahendo. Contrarios item geſtus imitatur, quibus contra alios quicquam infertur ſagittando, iaculando, feriendo. Erat genus ſaltationis à Pyrrho repertæ, vt teſtatur Pli. lib. 7. Strabo lib. 10. à Pyrrhicho Deo Curetũ fuiſſe repertam tradit. Pyrrhus autem Achillis filius primus victoria potitus eo genere metri, qui frequentibus Pyrrhichijs conſtat, laudatus eſt. Nũcupatur alijs nominibus bibreuis, dibrachus, periambus, vel Egemon. Terentianus:

Primus ille eſt iure primus ἡγεμὼν qui dict⁹ eſt,
Autor & ductor melorũ qui duas breues habet:
Ante enim breue eſt creatũ, redditũ lõgũ dein:
Sicut vnũ numer⁹ ante,quàm ſecũdũ prodidit:
Ergò princeps natura iure repertus dicitur,
Ante quẽ non eſt creatus,quẽ ſequuntur cæteri.
Pyrrhichios idẽ vocat,q̃ppe & apt⁹ Pyrrhichę:
Tam cito metu recurſat, q̃ breues hi ſunt ſoni.

Huic contrarius eſt Spondęus duarum lõgarum capax, dictus παρὰ τὴν σπονδὴν, quia in templis quædam carmina componebant, vt libantes ſonum vocis abominoſę audire non poſſent. Non ſolum Deorum voces Pythagorei obſeruarunt,ait Cicero de Diuinat. ſed etiam hominum quę vocãt omina,quas maiores noſtri quia valere cenſebant,idcirco omnibus rebus agẽdis, quod bonum,fauſtum,felix,fortunatúmq; eſſet, præfabantur:rebúſq; diuinis quæ publicè fierẽt, vt fauerent linguis, imperabatur, id eſt vt ſilerent,vt interpretatur Donatus,vel potius,vt ait Feſtus,vt bona farentur.Itaq; Hymni qui Spondaici erãt,fauſta ſignificabãt. Terẽt.de Spõdeo: *Qui quòd in templis canorus, à ſono*, id eſt,auditione *uocis malæ*, id eſt abominoſæ, *obſtat auribus libantis*, id eſt,veluti obijcẽ & obſtaculũ opponit. Numam Pompilium diuina re præditum,hunc pedem pontificium appellaſſe memorant, cum Salios iuniores æquis greſſibus circulantes indu ceret:ſpondeo melo patrios placaret Indigetes. Spondeon erat etiam poculum, quo vinum in ſacris libabant,vt Clearchus teſtatur. Dactylus conſtat ex prima longa & duabus breuibus, à

tractu digitorum dictus, vel ab Idæis Dactylis: quos Curetas ſiue Corybantes poëtæ appellabant. Græci aliter Politicon appellant. vel dicitur à trāſlatione iuncturarū quæ in digito ſunt. Quemadmodum in digito longiorem primum articulum, ſequentes verò breuiores cernimus, ita Dactylus prima quidem ſyllaba producta conſtat, ſequentibus verò correptis. de eodem Terent. Dactylus Anapęſto aduerſus eſt, ordinis ſitu repugnans, temporum conſors modo. Vnde & Anapęſtus, dictus παρὰ τὸ ἀναπαίειν. i. παρὰ τὸ ἀνάπαλιν ἀντικρούειν πρὸς τὸν δάκτυλον. quia recurrendo repercutiens dactylum ſono reciproco obloquitur. Ex Choreo & Iambo componitur Choriambus Syllabarum quatuor –⏑⏑–. Choreum Quintil. 9. nominat, quem alij Trochæum. vult enim Trochæum eum eſſe pedem, quē nonnulli Tribrachyn dici volunt. hîc Choreo Trochæi nomen imponimus, & eundem pedem intelligimus. Terent. Præmonui Chorion dici, quē ſæpe Trochæum Dicimus. Idem: Claudunt medias quando breues vtrinque longæ. Idcirco gemellum vocitarunt Choriambum: Eſt antè Trochæus, ſequitur dehinc Iambus: nā qui Choreus dicitur, & Trochęus idē eſt. Cicero de perſe. Orat. Dichoreus, inquit, vocatur cum duo extremi Chorei ſunt, id eſt è ſingulis longis & breuibus. Cicero Choreum cum Trochæo confundit, ſed à Tribracho diſtinguit. Idem, Pro Tribracho, ne Iambus quidem, qui eſt è breui & longa, aut par Choreo qui habet tres breues, ſed ſpatio par non ſyllabis. Quum Choreus pro

Trochæo ponitur, differentiæ cauſa videtur (ait Aldus) ſcribendum per i, excluſo e, vt χόριος: pro Tribracho autẽ per diphthõgũ, ſic χορεῖος. Choreus autẽ vocatur quia choreis eius cõpoſitio conuenit. Trochæus verò quẽ Conon appellant, dicitur à rotatili cõpoſitionis volubilitate. Vel per metaphoram decurrentium ſupernè lapidũ, quo currere ambulantes cogunt. vel quòd currẽtes, ſaltantéſq; circa aras in ſacrificijs deorum hoc genere pręcentionis vtebantur. A Mercurio repertum conſtat. Muſici ocyori melo intenti ex rotæ ſitu & volubili modo rhythmum eius & tonum deſignant. Aiunt hunc Trochęũ Auruncos Rutilum nuncupaſſe, ea ratione qua Græci à trocho. De Iambo ſic Horatius in arte: Syllaba longa breui ſubiecta vocatur Iambus. verſui maledico quadrat, & παρὰ τὸ ἰαμβίζειν nominatur, id eſt, à contumeliando, quòd maledici hoc genere carminis vtebantur, & maximè veteris comœdię ſcriptores, quib⁹ impunè mordere quemlibet licebat: vel ab Iambe puella quę turpiter hoc carmine lacerata, atq; omni genere conuitij affecta, laqueo ſe ſtrangulauit: vel ab Iambe Cælei famula, quæ Cererem malè tractauit hoſpitam. Quidam autem ferunt Iambum, quaſi triambum à triumphatore Libero cognominatum. Appuli Daunium à ſuo duce prodiderunt. Gradalem quidam nominãt, Gradiuóque Marti augurant, quòd gradariæ pugnæ huius effectu moueãtur. Pes virilis & acer dicitur, quòd (vt ait Terent.) Archilochus iſto ſæuit iratus metro contra Lycamben & filias, quódque vi-

goris plenus ſit: qui quantum potuerit, Lycambes expertus eſt. Cuius rei cauſa eſt, quòd acres pedes ſunt, qui ex breuibus ad longas inſurgunt, vt ait Fabius 9. lib. Leuiores qui à longis in breues deſcendunt. Virilis etiam dicitur, quòd grãdes cothurni, vt ait Horatius, hunc cepere pedem, quo magna deſcribi poſſent. Pes eſt etiam citus, quem Rufinus apud Priſcianum appellat curſorem: nam breuem crebra conſequendo longula, citum ſubinde voluit arctiùs ſonum, vt ait Terẽtianus. Hactenus de pedibus magis obuijs, nunc proponitur metrorum tractatus. Porrò autem metrum, eſt iunctura, pedum numero finita modóq;. vel, metrum eſt compoſitio pedum ordine ſtatuto decurrens, modos, poſitiones, ſublationéſque conſeruans. Clariùs ſic: metrum, eſt quod certis pedum quantitatibus qualitatibúſq; Rhythmicis diſcriminatur. Diſtat enim metrũ à Rhythmo. Nam Rhythmus, eſt verſus imago modulata ſeruans numerum ſyllabarum. vel, eſt pedum temporúmque iunctura ſine modo: quã quidem cõgruẽtiam in infinitum multiplicat, ac profluit. Metrum verò certa qualitate ac numero ſyllabarum temporúmque finitur, certíſque pedibus cõſiſtit ac clauditur, & alligatur. Fabius 9. libro: Omnis ſtructura ac dimenſio & copulatio vocum, cõſtat aut numeris (numeros rhythmos hîc accipi volo) aut μέτρῳ, id eſt dimenſione quadã. Quod etiamſi conſtat vtrũq; pedibus, habet tamen non ſimplicem differentiam. Nam Rhythmi ſpatio temporum cõſtant, metra etiam ordine, ideóque alterum eſſe quan-

titatis videtur, alterum qualitatis. In Rhythmo tempus ſolùm metimur, vt à ſublatione ad poſitionem eadem ſint ſpatia pedum. In verſu pro Dactylo poni non poterit Anapæſtus, aut Spondeus. Idem paulò poſt: Sunt numeri Rhythmi, vt Cicero conſtituit, & ſecutus eum Virgil. cum dicit: Numeros memini, ſi verba tenerem. Et Horat. numeríſque fertur Lege ſolutis. Inuadũt ergo hãc inter cæteros vocem. Rhythmi, vt dixi, neque finẽ habent certum, nec vllam in contextu varietatem, ſed qua cœperũt ſublatione ac poſitione ad finem vſque decurrunt. Diomedes lib. 3. dicit inter Rhythmum, qui Latinè numerus vocatur, & metrum id intereſſe quod inter materiam & regulam. Idem lib. 2. Rhythmi certa dimẽſione pedum terminantur, & pro noſtro arbitrio nunc breuiùs arctari, nunc longiùs prouehi poſſunt. Metra ſunt verborum ſpatia certis pedum temporibus alligata. Reperies tamen nonnunquam apud idoneos poëtas numeros pro carmine, & ſonos, & modos. Metrum vocatur etiam carmen & verſus. Carmen, quaſi caimen à canendo, vel potiùs à Carmenta Euanri matre fatidica, quòd carminibus conſulentibus daret reſponſa. verſus, quòd vno finito ad equẽtis initium reuertimur, vel quòd tantiſper verti debeat, dum rectè conſtituatur & componatur. Horat. in arte: Delere iubebat,

Et male tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum quàm vertere malles
Nullum vltra, &c. Idem:
Sæpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſunt,

Scripturus. Solent appellari carmina à dimenſione,& numero pedum,vt Hexametrum, Pentametrum.A ſyllabarum numero, vt Hendecaſyllabũ,id eſt vndenariolum.A pedibus frequentioribus, vt Iambicũ, Trochaicum, Dactylicũ. A materia & vſu,vt Pythium de laudibus Apollinis,quod & Heroicum, ob ſcriptionem rerum egregiè ab Heroibus geſtarum.A paſsionibus vt Miura,Clauda. Ab inuentoribus & celebratoribus,vt à Sappho poëtria,Sapphicum: ab Aſclepiade,Aſclepiadeum:& à Phalęcio,Phalæcium. Poſtquam in poëtarum mentionem incidimus, placuit eorum diſtinctionẽ quandam quambreuiſsimè fieri poterit,explicare. Nam poëtarum alij Lyrici dicuntur,quòd ad lyram eorum verſus canerentur: quorum circularis chorus quinquaginta conſtabat viris,tauro donabantur. Inter quos maximè inſignes decem numero extitere:Steſichorus,Bacchilides,Ibicus,Anacreon, Pindarus,Simonides,Alcman, Alcæus,Sappho, & Corinna.Dithyrambici, mercedis gratia tripodem accipiebãt,ſić cognominati à Dionyſio qui Dithyrambus idcirco appellatus eſt,quòd è geminis ſit egreſſus foribus : ex vtero videlicet Semeles,& Iouis femore.Celebris Dithyrambis fuit Philoxenus Corinthius. Primũ Dithyrambum,hoc eſt circularem chorum Corinthi inſtituit Arion,ſecundum Laſſus Hermionęus.Iambographi dicuntur,qui carminis Iambici amaritudine quempiam inſectarentur.Inter quos maximè excelluerunt Anamias , Archilochus , & Hipponax.Sillographi poëtæ ſunt , qui σίλλους,

hoc eſt,comicæ poëſis ſpeciem fecerũt:quorum proprium eſt,σιλλαίνειν,id eſt,irridere, cauillari, & dicacitate quadam mordere,qualis fuiſſe dicitur Xenophantes,ſiue Xenophanes. Tragicorũ, Satyricorum , & Comicorum id commune eſt. Differunt tamen,quòd Tragœdia & Satyra ſexdecim,Comœdia quatuor & viginti conſtet ſaltatoribus.Prætereà quòd Tragœdia vitam adimat,comœdia conſtituat & largiatur,Satyra luctum miſceat hilaritati.Tragœdias ſcripſerunt, Arion, Theſpis, Phrynicus, Aeſchylus, Sophocles,Euripides,Ion,& Acheus.Comœdias: Suſarion,Cratinus,Plato,Pherecrates,Ariſtophanes. Et recentiores,Menander,Philemon,Philiſtion. Triplex fuit comœdia, Prima manifeſtè reprehendens,in qua Ariſtophanes,Eupolis atq; Cratinus floruere.Media per ænigmata mordet, in qua Plato.Nouæ autem princeps Menander.vide Ianum Parrhaſium ſuper illo Horat. Succeſſit vetus his comœdia,&c.In Satyra floruit Pratinas.de Græcis tantum loquor, notiores enim ſunt Latini,quàm vt recẽſeri debeãt.Elegiographi ſunt appellati,qui defunctos luctuoſo flebilíque carmine proſequebantur: inter quos præcelluerunt Callimachus, Mimnermus, & Philetas.Epigrammatici, qui & Anathematici dicũtur, ſtatuas dedicationéſq; Epigrammatων inſcriptionibus exornabant.Anathema autem D. Hieronymus annotat vocem eſſe propriam Hebræis, qua extremam deteſtationem ſignificare ſoleant.Dicuntur itẽ donaria,hoc eſt dona quæ dicata Dijs ſuſpenduntur in parietibus & colũ-

nis templi,cuiuſmodi nūc viſuntur potiſſimum iuxta monumenta diuorum ſtatuæ argenteæ, equi aurei, pocula gemmata. Dicuntur & ἀνα-κείμενα Herodoto,a ſeponendo,ſiue ſuſpenden-do,aut quòd nefas eſſet ea mouere loco.Hoc vo cabulo etiam ſtatuæ ſignificantur, templa,baſi-licæ,porticus,& alia vrbis ornamenta.Iſocrates pro templis & ſacris monumentis vtitur. Ana-themata item dicti ſunt ſacri homines,quorum capita dijs inferis dicata ſunt: quemadmodum etiam Latini veteres ſacrum in malum ſenſum vſurpabant.Horat: Sacer,inteſtabilis eſto.Virg. Auri ſacra fames.Eraſmus: Anathemata res di-cuntur dijs dicatæ,& in hoc ſepoſitæ.Hunc ve-rò morem dedicationum & inſcriptionum at-tingit Cicero pro Archia his verbis:Decius qui-dem Brutus ſummus ille vir & imperator,Accij amiciſſimi ſui carminibus templorum ac moni-mentorum aditus exornauit ſuorum. Iam verò ille qui cum Aetolis Ennio comite bellauit Ful-uius,non dubitauit Martis manubias Muſis cō-ſecrare. Hymnographi nuncupati, qui deorum laudes cecinere : qualis fuit Aſclepiades. Valde congruit huic loco differentiam inter hymnū, pſalmum,& canticum oſtendere. Hymnus eſt, cum animus conſiderata Dei ſublimitate, rapi-tur in laudem illius,cui ſoli debetur omnis glo-ria.Paul.ad Col.3.tria coniungit eiuſdem gene-ris,Docentes (inquit) & commonentes vos in-uicem in pſalmis,hymnis, & canticis ſpirituali-bus.Pſalmus Græcis cantionem ſonat,quod vi-detur eſſe vocabulum omnibus commune, quæ

ad Dei laudem vel hominis pertinent, vnde & pſalmi quidam inſcribuntur ipſi Dauidi, velut in laudem illius conditi. Hymnus propriè dici videtur laudatio numinis:vt, Te decet Hymnus Deus in Sion. Vnde & Ethnici poetæ carmina, quibus efferunt Diuos ſuos,hymnos appellant. quales extant Orphei & Homeri titulis. Porrò canticum quod Græcis eſt ode,quiddam eſſe videtur vtroque ſublimius:nimirum laus illa,quā Deo canunt angeli,ac piorum animæ,quæ iam mortalitatē exuerunt. Nam in Apocalypſi virgines habent canticum nouum,quod nemo poteſt dicere præter illos qui ſequuntur agnū quocunque ierit. Alioqui quid querūtur in pſalmo? Quomodo cantabimus canticum nouum in terra aliena? Idem Paulus ad Epheſ. 5. eodem cōiungit ordine hęc tria. Aſmatographi, omnes hi ſunt, qui ea conſcribunt, quæ ad citharam, barbiton, & cætera muſica inſtrumenta canuntur: quales fuere (vt Phalereus Demetrius ſcribit) Automedes, Demodocus, & Ithacēſis Phemius. Epithalamographi nuncupati ſunt, quicunque ſponſorum ac ſponſarum laudes in nuptijs ceciнerūt: qualis extitit Pharſalius Agameſtoros, & Heſiodus, qui in Peleum ac Thetidem Epithalamium conſcripſit. Mimographi, ſolum riſum ſuis quærebant poëmatis. Monodi poëtæ, qui vnicam inducunt perſonam loquentem, vt Lycophron in Alexandra. Qui verò κατὰ ἐξοχὴν poëtæ nuncupantur, Heroïco vtuntur carmine, fabulis allegoricis, hiſtorijs & peculiari quadam dictione: inter quos celeberrimi fuere

Heſiodus, Antimachus, Piſander, & Homerus. Cæterùm metro accidunt præcipuè nouem:genus,ſpecies,compoſitio,cęſura,figura,depoſitio, ſcãſio,ſinecphoneſis,colliſio.Genus accidit metro, quia metrum omne aut principale eſt, aut deriuatum. Principale eſt,quod ipſum ex ſe formatum eſt, & ſua lege non abſumpta decurrit. Deriuatum quod à principali originem ducit, quod vel additione vel immutatione fit, & ad principale aliquod refertur. Principalium metrorum formæ ſunt nouẽ:Iambica, Dactylica, Trochaica,Anapęſtica,Choriambica,Antipaſtica,Ionicę duæ,Pæonica.Principalium metrorũ formæ generaliſſimæ duæ Terentiano ponuntur,Hexametra,& Iambica : quarum additione vel diminutione reliquæ ſpecies variè contextæ deriuantur.Species accidit metro,quia ſub vno genere metri multæ ſunt ſpecies, vt Adonium, Archilochium, Simonidium, & cæteræ ſpecies quindecim ſub Dactylico. Species tamen apud Diomedem, eſt ab Aldo meliùs appellata depoſitio:qua cognoſcimus plenum ne ſit metrũ, an abũdet,an minuatur aliqua ſyllaba.Eius genera ſunt quatuor,acatalecta,catalectica,hypercatalecta,brachycatalecta.quorũ finitiones quia frequẽter obuiæ ſunt,non repetã.Adiũgit Diomedes qualitates carminũ ſex: heroicã, comicam, tragicam, melicam, ſatyricam, choriambicam. Qui plura volet,è dolio hauriat:mihi ſatis quaſi digito fontes indicare.Compoſitio autem accidit metro,quia ex diuerſis metrorum generibus verſus componi poſſunt,quales multi habentur

apud Horatium. Figura in metro eſt variatio pedum per ſingulas ſedes. vnde carmen Heroicũ duas & triginta recipere figuras poteſt. Iambicum, mille centum & vigintiquinque. Quas cum ſuis modis ſume ex Aldo & Priſciano in opuſculo de duodecim carminib⁹. Quid ſit ſcãſio, ſuprà docui. De Cæſura, Synecphoneſi, & Colliſione dicemus ſuo loco, nunc contextus Deſpauterij enarrationem aggrediamur.

Hexametrum carmen.

Hexametrum ſenis carmen pedibus ſit, & vſque

Dactylus eſt quintus, ſextam ſibi vult regionem

Spondeus, reliquiſque locis ſit vterlibet horum.

Hexameter verſus dicitur, quòd ſex regiones, id eſt pedum loca continet, ab ἕξ quod eſt ſex, & μέτρον, mẽſura. Sed ne fallamur, metrum aliter in heroicis & dactylicis, aliter in alijs carminibus accipitur. Nam hexametra ſunt in ſingulos pedes diſtinguenda. Iambicum & cætera ſolent ſcandi binis pedibus cõiunctis, quòd bini pedes ſingula metra faciant: quod Græci κατὰ διποδίαν dicunt. Dipodia (autore Suda) genus eſt ſaltationis Laconicæ, nimirum quod decenti & apta glomerandorum pedum duplicatione fieret. Hinc Terentianus: Iambus iſte ſex enim locis manet, Et inde nomen inditum eſt Senariũ. Sed ter feritur, hinc trimetrus dicitur, Scandendo binos quòd pedes cõiungimus. Priſcianus de

verſibus Comicis: Quoniam ter feritur hic verſus, tréſque Dipodias habet, ſiue tres pedes duplices trimeter dicitur ſeu ternarius: quòd autẽ ſex pedibus ſimplicibus conſtat, Senarius appellatus eſt. Quintilianus lib. 9. Sex, inquit, pedes, tres percuſſiones habent trimetri. Sumuntur, ait Fortunatianus, nomina verſuum, aut à numero pedum, vt verſus ſenarios dicimus: aut à numero Syzygiarum, vnde Trimetros & Tetrametros dicimus. Ideo autẽ Dactylicum excipitur, quia cum dactylus & ſpondeus ſint æquales tẽporibus, non eſt timẽdum cum ſingulis pedibus ſcanditur, aliud videri metrum quàm dactylicum. Quod ſi fiat in Iambico, nõ Iambicum videri, ſed horum poterit: & propterea κατὰ διποδίαν ſcandi debet. Cauſam pulchrè docet Terentianus his ſenarijs Iambicis:

Sed paulò abimus longius, nunc hoc magis,
Heroicus quare pedes per ſingulos,
Aſt iſte binos ſcanditur, cauſam loquar.
Spondeon etenim quia recepit impari
Tantùm loco, vel dactylum aut contrarium,
Secundo Iambum, nos neceſſe eſt reddere,
Qui ſedis huius iura ſemper obtinet,
Scandendo, & illic ponere aſſuetam moram,
Quam pollicis ſonore, vel plauſu pedis
Diſcriminare, qui docent artem, ſolent.

¶ Hîc aduerte *ſonore*, dici ſecundum illud Horat. in arte: Legitimúmque ſonum digitis callemus & aure: quia ſonus metri, vt inquit Acron, pollicis ſtrepitu, & auris ꝑceptione ꝓbari ſolet.
Si primus ergo pes eam ſumet moram,

Vbi iam præceptum eſt ſubdere heroos pedes,
Verſum videbor non tenere Iambicum.
Sed quia ſecundo nunquàm Iambus pellitur,
Moram neceſſe eſt in ſecundo reddere,
Et cæteris,qui ſunt ſecundo compares.
Vbi non timebo ne quis Herous cadat:
Sic fit trimetrus,qui fuit ſenarius.

¶*Verſum uidebor.*)Rufin⁹ de metris Comicis:Iābicus,quū pedes Dactylici generis aſſumat,deſinit Iābicus videri: niſi percuſſione ita moderaueris,vt quū pedē ſupplodis,Iambū ferias.Ideóque illa loca percuſſionis non recipiunt alium quàm Iambum,& ei parem Tribrachyn.

Creſcunt autem ſic iunctis pedibus ad Hexametrum vſq;: nam Monometrū dicimus, quod duobus pedibus conſtat.Dimetrum,quod quatuor.Trimetrum quod ſex. Tetrametrū, quod octo.Pētametrum,quod decem.Hexametrum, quod duodecim. Ad heroici carminis inuentorem eſt deueniendum,illúdque ante omnia proferendum,quod Plinius lib.7. nat. hiſtoriæ tradit:Verſum Heroicum Pythio,inquit, oraculo debemus.Pauſanias etiam ſcribit Phœmonoēn Apollinis fuiſſe promantin,primámque heroicum carmē ceciniſſe.Athenæus Pythicum fuiſſe appellatum dicit,& hoc carmen Hexametrū primum fuiſſe. de hac fabula multa leges apud Ouid.1.Metam.&apud Eraſmum in prouerbio, Feri Puer.Vbi docetur ex Athenæo,quum Latona Apollinem & Dianā ex Chalcide Delphos deportaret,iámq; ad ſpecum Pythonis veniſſet, & draco concitus in eas prouolaret, Latonam

puellam vlnis baiulans,Apollinis præſidium im
plorauit. Cum itaque Apollo Pythona ſerpen-
tem Delphis necaſſet in vltionem matris,acco-
læ timore perculſi carmen primum Heroicum
Hexametrum è ſex Spondeis compoſitum ceci
nerunt:deinde læti occiſo ſerpente idem carmē
concitata voce è ſex Iambis protulerūt. Quod
fuiſſe idē dicit,ἴη--παιάν--ἴη--παιάν--ἴη--
παιάν--:vt iota in ἴη producatur.Idē præterea
ſi corripiatur,& παι in παιάν ſimiliter ſequen-
te vocali,erunt ſex Iambi, ſic,ἴηv–παιάνv–ἴηv–
παιάνv–ἴηv–παιάνv–.Idē Terētianus recitat:

Hexametros tradit genitos duo prima vetuſtas:
Herous ille eſt,hunc vocant Iambicum.
Nam pedibus ſenis conſtare videmus vtrumq;,
Diuerſa quanquam lex ſit ambobus pedum.
Additur hæc gemino nō abſona fabula metro,
Seu vera res eſt,ſpectet autorem fides.
Cum puer infeſtis premeret Pythona ſagittis
Apollo,Delphici feruntur accolæ,
Hortantes acuiſſe animum bellantis,vt illos
Metus habebat,aut propinqua adorea,
Tendebat geminas pauida exclamatio voces,
ἴη--παιάν--ἴη--παιάν--ἴη--παιάν--
Spondeis illum primo natum cernis ſex.

¶Eſt enim ἴη(vt ex Suida colligit)allocutio de-
ſpicientis.Exprobrat enim hoc dictū morā,tar-
ditatēq;,ſignificátq;,cuius rei gratia ceſſas Dijs
proximus eſſe?quaſi dicat,quin properas iuuare
mortales?quibus Deus ferè eſt,iuuare mortalē.

Ex parte voces concitas læti dabant
ἴη v–παιάν v–ἴη v–παιάν v–ἴη v–παιάν v–,

Et hinc pedum tot ortus eſt Iambicus.

Vulgo prouerbij vice receptum eſt, vt re feliciter peracta acclamemus ἰη παιὰν. Latini videntur η, in ο, commutaſſe, quum dicunt io Pæan. vide in Chiliad. Eraſm. adagium, Io Pæan. Vide etiam Macrobium lib. i. Saturn. cap. 17. Meminit & Pollux pugnæ Apollinis cum Pythone.

¶Hîc obſerua in *Metus* vltimam produci quanuis ſit nominatiui caſus, numeri ſingularis: producitur autem ex ſeptimo modo communium ſyllabarum: de quibus Diomedes lib. 2. & Aldus 4. *Adorea*, Plin. Gloriam ipſam à farris honore Adoream appellabant. Acrõ: Adorea, laus publica dicebatur, eò quòd victores à victis adorarẽtur. Porphyrio: Adorea, laus bellica dicitur, fortaſſis quòd adorandi ſunt, qui laudem ex bello reportant.

¶Græcorum ſententiæ de origine carminis Hexametri aduerſatur Ioſephus de Antiquitatibus Iudæorum lib. 2. qui Hexametrũ carmen à Moſe, vt illo gratias deo ageret, inuentum putat. Idémque libro ſeptimo eiuſdem operis: tam latè repertorum omnis ferè generis verſuum palmã Hebræis tribuit, vt is apud illos Dauid fuiſſe putetur ab eo, qui apud Græcos Pindarus: quod D. Hieronymo facilè perſuaſit, atque etiã Bapt. Mantuano, qui idem in Apologia contra poëticę calũniatores aſſeuerat. Sed quando Hebraicorum carminum ratio à nemine eorũ, qui viuãt, puto cognita fuit, illis præteritis, quę Gręci Latiníq; de eiſdẽ ſcripſerunt, attingamus. Si heroicum carmen Apollini debemus, cur Hora-

tius de Homero in poëtica ſic ſcripſit?

Res geſtæ regúmq; ducúmque & triſtia bella,
Quo ſcribi poſſet numero mõſtrauit Homer⁹.

Non eius principium à diuino illo poëta profectum oſtendere voluit,ſed ab illo primũ res geſtas Hexametris verſibus fuiſſe mãdatas:ita quidem vt ſuſcepto muneri par fuerit. Cùm enim Heroici inuentorem fuiſſe Orpheum Antipater tradat,qui quorundam teſtimonio ante Homerum Heſiodúmq; floruit(licet Ariſtoteles, eum vnquam fuiſſe negarit) & Corinnus,atque alij quidam poëtæ etiam floruerint,quis aſſerat à nemine eorum res ab heroibus geſtas, heroico carmine fuiſſe explicatas?Præſertim cũ M.Cicero in Bruto poëtas fuiſſe ante Homerum aſſeueret: quod ex eis carminibus, quæ apud Homerũ & in Phæacum & in procorum epulis canũtur colligi poteſt. Et Plinius ante bellum Troianũ poëtas extitiſſe teſtatur.Sed cum de ijs nihil certi prodi queat, Hexametrum carmen ab oraculo profectum,ab Homero conuenienti ei onere impoſito illuſtratum dicemus.Nec mehercle illud,in quo de magnorum ducum regúmque factis non agatur,propriè Heroicũ appellari poſſe autumo,cum quod Heroicum vocamus, Heroum res geſtas continere debeat. Terẽtianus:

Hexametrũ dicũt,ſed non Heroicon omnem,
Nam ſex pedes ineſſe non erit ſatis.
Leges quippe datas Heroica carmina poſcunt,
Queis acta Homerus Heroũ quum ſcriberet
Verſibus oſtendit,quas æquè ſermo Latinus
Cuſtodit omneis,& pedes ſolos probat,

Quos ſupra poſui,&c. Diomedes lib.3.Heroici proprij verſus & Hexametri differētiam ponit. Dici etiam poteſt Heroicum,quòd vetuſtiſſimū & ante omnia primum hoc fuerit carmen. Heroica enim vetera & antiqua dixerunt:vel quia valida & magna hoc metro canuntur, quales ſunt Heroes.Idem & Dactylicum, & Hexametrum & Deliacum & Pythicum, vt ſupra dixi, nominatur,& ab Ennio longum.Gellius lib.18. cap.15. In longis verſibus, qui Hexametri dicuntur, item in Senarijs animaduerterunt Metrici primos pedes, item duos extremos habere ſingulas poſſe integras partes orationis,medios haud vnquam poſſe,&c. Vocatur & Epos. Dactylicum à pede quem ſuſcipit. Epos, quòd ſermonum capax, quódque per eius pedes ſimpliciùs & faciliùs verba eant, & decurrant. Epos, vt definit Diomedes,eſt diuinarū rerū,Heroicarum humanarúmque comprehenſio. Præcipuè verò Hexameter verſus Epos dicitur, quia hoc verſu verba reſpondent mutuò.Epodi autem dicuntur verſus quolibet metro ſcripti, & ſequentes clauſulas habētes particularum: quales ſunt Horatij,in quibus ſingulis verſibus ſingulę clauſulæ adijciuntur.Sic dicti συνεκδοχικῶς à partibus verſuum, quæ legitimis & integris verſibus ἀπῴδονται,id eſt, accinuntur.Rurſus,Epodos verſiculus eſt ſequēs,qui maioris verſus ſenſum cōcludit & perficit:tamē per Sinecdochen & ſuperior & poſterior ſimul vocātur Epodos.Olim carmina in Deos quum ſcriberentur, circuire aram dextra ſtrophen vocabāt: redire à ſiniſtra

antiſtrophen:pòſt quum in conſpectu Dei conſiſtentes canticis reliqua peragebant, Epodon. Hinc tranſlatum nomen eſt in Epodos hos, qui binos verſus habẽt: nam vt illic Epodos Canticum finit, ita hic verſus ſecũdus ſenſum:hoc eſt enim legitimũ in Epodis. Ergò ſecundũ hæc & Elegia Epodicum carmẽ diceť.hæc Donatian9. Sunt qui Dactylicũ & Heroum, non eſſe idem volunt,ſed illam eſſe inter vtrumq; differentiã, quòd Dactylicum ex omnibus cõſtat Dactylis, Heroum verò etiam ex Spondeis. Addunt præterea proprium eſſe Heroum,quòd in primo,& in quarto & ſexto loco Spondeum habeat. Sed quod omnes Spondeos, vel plures Spondeos q̃ Dactylos habet,quaſi minus bonum & ſine Dactylo parum teres,ac ſonorum σπονδειάζον appellauerunt.Et propterea optimum dicunt, qui ex omnibus conſtat Dactylis, vltimo excepto. Terentianus, Heroa fiunt pulchriora Dactylo. Omnis Hexameter ex xij. ſyllabis in decem & ſeptem longatur,vltrà non poteſt. Nam ſi plus habet,excutiũtur per Ellipſin vel Synalœphen. Addit Diomedes verſus Hexametros nona proprietate ſpectari.Principio vt ſint illibati, iniuges,æquiformes,quinquipartes, fiſtulares, æquidici,teretes,ſonori,vocales.Illibati ſunt, qui nõ aucta,vel minuta, aut amputata ſyllaba vitiantur: ſed integra & pleniſſima dictione formantur.Iniuges, qui nulla coniunctionis ſyllaba copulantur.Aequiformes,qui ſimplici figura oſtẽtantur.Quinquipartes,qui quinq; partes ſignãt, vt,Miſcent candida flumina ſanguine ſparſo.Fi

ſtulares, vel aſcendentes ſunt qui paulatim accreſcente partis orationis numero ab vnica ſyllaba plures aduſq; ducuntur. Cum enim ab vna ſyllaba incipiant, in ſingulis dictiònibus vna augentur: vt, O Nymphę faciles, pulcherrima Deiopea. Et, Rem tibi cõfeci ſtultiſſime Marmoriane. Climatici aliâs dicuntur, & ἀναβαίνοντες. Aequidici, qui ſingulis propoſitionibus ſingulas ſuppeditãt Antithetas dictiones. Teretes ſunt, qui volubilem & cohærentem continuant dictionem. Sonori, qui crepitant pronunciatione fragoſa, & exultãtem informant dictionem, vt, Quadrupedante putrem ſonitu quatit vngula campum. Vocales, qui per alta producta locutione, ſonãtibus literis, vniuerſam dictionẽ illuſtrant, vt, Portus ab acceſſu ventorum. & totus ille locus. Stephanus Niger ex Græcorum commentarijs ſpecies & differentias Hexametrorũ eas adnotauit, quæ ſequũtur. Hyporrhythmus, cuius ſinguli pedes partem orationis terminãt. vt, Hæc tria ſunt tibi, quæ mea nunc mihi munera mittis. Logoides, qui proſæ ſimilis eſt, hic & ſolutus dicitur, quòd pedeſtri oratione curreré videatur, vt, Dono ducite, dóque volentibus cum magnis dijs. Cicero in perfecto Or. Comicorum Senarij propter ſimilitudinẽ ſermonis, ſic ſæpe ſunt abiecti, vt nonnunquam vix in ijs numerus & verſus intelligi poſſit. Terentianus: Ne ſint ſonora verba conſuetudinis, Paulúmq; rurſus à ſolutis differant. Trachys, qui aſperè coeuntibus literis difficulter pronunciatur. Verſus affectatæ difficultatis ſunt ex plurimis inter

ſe coeũtibus ſyllabis catenati,ac veluti cõfragoſi. Huiuſmodi verſus Græci χαλεποὺς dicunt. Difficultas autem ſyllabarum ac dictionũ partim naſcitur ex natura literarum,partim ex cõnexione, partim ex turba concurrentium conſonantium,partim ex ijs omnibus.ρ,ξ,ψ, & noſtrum f,durioris ſunt ſoni,vnde voces ex ijs cõſtantes non admodum facilè ſonantur. Numerus literarum in eadẽ ſyllaba non excedit ſeptenarium,qui tamẽ apud Græcos ægrè reperitur. Verſuum quos à Græcis χαλεπὸς appellari diximus hoc exemplum fingi poterit:

Arx ſtridens roſtris, ſphinx, præſter, torrida ſeps,ſtrix.

Malacoides, qui lenis & æqualis ac lubricus ad aurem permeat: ſic autem dicitur, quòd in audientium aures molliter incidat. Cacophonus, qui crebrò coëuntibus vocalibus vaſtum hiatũ reddit,vt, Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.Cacoſymphonus, qui ijſdem conſonantibus plures incipientes dictiones habet.Ennius,

O Tite, tute Tati, tibi tanta Tyranne, tuliſti.

Acephalus, qui à breui ſyllaba incipit, vt, Fluuiorum rex Eridanus.Idem Mutilus appellatur à Diomede lib.3.quòd in principio amputetur vel litera, vel ſyllaba, vel tempore.Lagarus,cui deeſt aliquid, id eſt, in cuius medio ſyllaba breuis pro longa inuenitur.Et ob eam cauſam Specias etiam dicitur à gracilitate propter ſyllabæ vel temporis defectum. Virgil. Muneribus ,tibi Pampineo grauidus autumno. Miurus,cum penultimus pes tempore deficit, id eſt, à breui

incipiens,efficit vt carminis finis minuatur:quidam recaudem vocant. Eius exemplum eſt,Dirige odoriſequos ad certa cubilia canes. huiuſmodi verſus vix reperies,niſi apud Græcos.Terentianus tamen multos verſus de Myuris ſcribens,compoſuit.Eius verſus hi ſunt:

Dactylici finem verſus ſi cludat Iambus,
Hoc eſt pro longa breuis vt penultima fiat,
Auribus acciderit nouitas inopina meliùs,
Verſus vt hic reſonare poteſt,ita ſi cecineris:
Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite ſaturæ.
Nile,pater,propera,ſitiunt ſata,Nile,propera.
Heus puer,vt mea ſint tibi vilia carmina,vides.
Si nuſq̃ hocce aliquis lectũ putat,ecce,dabitur:
Verſus Homericus Auſonio reſonãs ita modo.
Quem Μύουρον Achaica gẽs vocitare ſolita eſt.
Attoniti Troës viſo ſerpente pauitant,&c.

Myuri in poſtremis peccant ſubſultántq;, proprium enim eſt breuium ſubſultare.Dicitur autem μείουρος παρὰ τὸ μεῖον,καὶ οὐρὰ quaſi cauda,id eſt,fine ſit minor vel breuior.Cæli⁹ ſcribit per υ Myuros:quòd vitioſe cludant,inquit, dici videtur Myuri:nã μύειν,claudere eſt. ¶Hîc adnota quod ait Quintilia.breues ſonum propriè reddere puerilium crepitaculorum,quod Terẽtianus vibrare ſonũ , idem Fabius reſultare vel ſubſultare dicit.

Procephalus,eſt cũ in carminis principio vacat ſyllaba vel tempus.Encyon,id eſt,prægnans vel vterum ferens,in cuius medio redundat ſyllaba,quæ patiatur ſynæreſin.Procœlius,cùm in medio vel ſyllaba ſupereſt,vel tempus,vt, Inter

ſe coijſſe viros & decernere ferro. Sunt qui legant cernere, figura ſimplici pro decernere. Virgilius tamen vndecimo Aeneidos ſcripſit,

Tyrrheníq; duces, Tyrrhenũq; exercit⁹ omnis.

Vbi carmen ſyllaba ſuperatur ſine ſynæreſi: nec aliter poſſumus vel metiri, vel excuſare Maronem, niſi dicamus eum vel ſibi licẽtiam permiſiſſe, vel ſono carminis qualicunque illectum, longius vna ſyllaba produxiſſe, more veterum. Dolichurus, cui longior quàm conuenit eſt cauda. Hic & Macroſceles à quibuſdã dicitur. Hypermetrum, autore Steph. Nigro, Seruius appellat. Alij tamen diſtinguunt, vt Hypermeter dicatur, qui & Hypercatalectus, in cuius fine redũdat ſyllaba ſine ſynæreſi, vt, Sidera pallida diffugiũt face territa luminis. Iſochronus, qui eoſdem pedes à primo ad vltimum vſque habet, & eandem quantitatem ſyllabarum, vt ſi omnes Spondei ſint. Cuius duæ ſpecies ſunt: Spondaicus, qui ex meris Spondeis conſtat, vt, Olli reſpõdit rex Albai Longai. Dactylicus, ex Dactylis, vt, At tuba terribilem ſonitum procul excitat horrida. omnes enim pedes ſyllabarum magnitudine ſunt inter ſe pares. Politicus, qui omnis affectus ac figuræ eſt expers. Idem quod Logoides. Eſt & illud Diomedis, Heroicum proprium dici, qui in prima regione, quarta & ſexta Spondeum recipit, vt, Immotámq; coli dedit, & contemnere ventos. Ornatum verò Heroicum, qui ſine vlla coniunctione quaſcunq; alias orationis partes, ita mutuis inter ſe connexionibus colligat, vt in ſcanſione propria, pes nullus niſi no-

uiſſimus tãtùm integram partem orationis includat. Atque ita ſex regionibus ſuis Spondeum Dactylúmque cuſtodiat: vt nunquam Dactylus quintam regionem ſuam Spondeo concedat: Spondeus verò ſemper poſtremus Dactylũ nunquam admittat: In tertia quoque regione Spondeus Pentemimerim diuidat, vt, Oceanum interea ſurgens Aurora reliquit. Collegerunt quidã Neoterici & illas ſpecies, partim ex Græcis, partim ex Latinis commentarijs. Catenoplius verſus dicitur, qui binos habet Dactylos, & in eorum medio ac fine Spondeum, vt, Ante fugã ſoboles, ſi quis mihi paruulus aula. Catenopliũ etiam genus eſt ſaltationis, ad quam arma concutientes ſaltabant. Periodicus, qui viciſſim Dactylum habet & Spondeum. Bucolicus, qui poſt tres pedes pedem habet partem orationis terminantẽ. Sapphicus, qui in prima & vltima regione Spondeum habet, in reliquis verò Dactylũ, vt, Pars in fruſta ſecant, verubúſque trementia figunt. Apartiſmenus, qui totam intra ſe cõprehendit ſentẽtiam. Telius, abſolutus, qui omneis orationis partes complexus eſt, vt, Ah, me ſi flẽtem ſuper æthera mox rapuiſſet. Pangrãmatus, qui continet omnes literas, vt,

Dux Zephyre exurgens rurum cum flatibus æquor. Emperiobolus, habens vnum ex decẽ prædicamentis, vel plura, vt, Multi hominum celeres repetent iuga, tigride viſa. Intercalaris, qui ſæpius interponitur, vt apud Virgil. Incipe Menalios. Interpoſitus, qui ſaluo ſenſu poteſt tolli, vt Aenei. 2. Perfuſus ſanie vittas, atróq; veneno.

Tibicen,in quo ponitur aliquid ad ſolam metri ſuſtentationẽ,vt:Aſpectans ſyluam immenſam, & ſic fortè precatur. Et particulæ ipſæ, quibus verſus replentur,tibicines vocant.Correlatiuus, qui correlatiões habet,vt,Paſtor, arator,eques, &c. Affectatus, qui ex meris aut verbis aut no= minibus cõſtat.Macrocolus,qui ex longis dictio nibus cõſtat. Aequiuocus,cuius vltimæ ſyllabæ ſimiles ſunt,vt Exercet mentes fraternas grata malis lis.Reciprocus in Heroicum,qui & retro= gradus dicitur, vt, Muſa, mihi cauſas memora, quo numine læſo. Læſo numine quo cauſas me mora mihi Muſa. Reciprocus in Sotadicum, vt qui à fine ſcanſus, Sotadicum Trochaicum fa= cit,vt,Ire cupis ſi rus, mala vites omnia quæſo. Quæſo omnia vites mala rus ſi cupis ire.Quin= tilianus li.9. Fit,inquit,vt iiſdem verbis alij atq; alij verſus fiant,vt memini quendã nõ ignobilẽ poëtam ita luſiſſe:Aſtra tenet cælum,mare claſ ſes,area meſſem.Reciprocus Iambicus in Elegia cũ eſt, quoties à fine ſcanſus Elegiacum facit: vt eſt hoc, Placet rubore viſa flammanti Aelia. Aelia flammanti viſa rubore placet. Recurrẽs, eſt qui,vt Sidonij verbis vtar,metro ſtante, nec literis loco motis, vt ab exordio ad terminum, ſic à fine relegetur ad ſummum: vt, Signa te ſi= gna temerè me tangis & angis.Recurrũt & ver ſus contrario dictionum ordine: vt, Præcipiti modò quod decurrit tramite flumen,Tempore conſumptum, iam citò deficiet: recurrendo in idem genus redit. Serpẽtinus:vt,Rumpitur in= uidia quidam clariſſime Iuli, Quòd me Roma

legit,rumpitur inuidia. Leoninus, cuius media pars in eundem ſonum vltimam ſecum trahit ſyllabam,qui eſt vitioſus,niſi quum ſubſtantiuis propria redduntur epithera.

Concordans,vt eſt hoc diſtichon,

Et canis / Et lupus } in ſyluis { venatur, / nutritur, } & omnia { ſeruat. / vaſtat.

¶Componendo tres Adonios fiet Hexameter, vt,Maxime regum,viuere ſi vis,erige doctos.Si coniunxeris Archilochium cum Partheniaco, Hexametrum habebis,vt, Moribus ingenuis felix nimium prior ętas.Si ſubieceris Archilochio Adonium,fiet verſuş Alcmanius Dactylicus,tetrameter Hypercatalectus,vt, Cogitur heu ſtolidam cernere terram . Si inter Archilochium, & Adonium,ſemipedem & pedem interieceris, fiet Hexameter,vt, Cogitur heu ſtolidam mortalis cernere terram. rurſus ſi ſeſquipedem exemeris , redibit in Alcmanium . Terentianus de Archobuli metro:

Anapæſtus item quater æditus Hexametro,
Ita clauditur vt Choriambicus Antibaccho.
Faciet tibi perſpicuū citò verſus idem
Dactylicꝰ,modò q potuit dare quiq;Anapęſtos.
At tuba terribilem ſonitum dedit ære recuruo.
Anapæſtus ineſt quater , vltimus Antibacchos.
Similem dabo verſiculum , magis vt probetur:
Tibi naſcitur omne pecus,tibi creſcit hœdus:
Prima reponatur,redeat quoque tertia fini:
Dactylicus tibi qui fuerat modò iam referetur.
Nā tibi naſcit̃ omne pecus,tibi creſcit & hœdꝰ.
Generi datur autor huic vetus Archobulus.

Hexameter verſus canorè deſinit in dictionem diſſyllabam vel triſſyllabam. Cauendum eſt autem ne in eius fine duæ ſint dictiones diſſyllabæ. Minus aptè deſinit in tetraſyllabam, pentaſyllabam, aut monoſyllabam dictionem, niſi ſit animalis nomen, aut enclitica coniunctio, aut niſi altera monoſyllaba præcedat, vt, Manſuri oppidulo quod verſu dicere non eſt.

Hæc te legitimè docui, nam ſæpe poëtæ
Ipſa minùs ſeruant. tu quanta licentia cantus,
Eſt permiſſa, vide: ne quando turpiter erres.
Namq; rei grauitas quinta in regione locauit
Spondeum: veluti, magnum Iouis incrementum.
Dátq; pedes alios Maro. tu puer, elige legem.

Ex pedibus alij legitimi ſunt, alij nothi. Legitimi ſunt ex quibus maximè vnumquodq; metrum conſtat. Súntq; metri cuiuſque proprij, & peculiares, vt Spōdeus & Dactylus in Heroico. Nothi verò, qui rariſſimè metrum ingrediūtur, vt Anapæſtus & Proceleumaticus in eodē Heroico. Quintil. lib. 9. ſic ſcripſit: In verſu pro Dactylo poni non poterit Anapæſtus, aut Spondeus, nec Pæon eadem ratione à breuibus incipiet ac deſinet. Neque ſolum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, ſed ne Dactylum quidem aut ſorte Spondeum, alterum pro altero. Itaque ſi quinq; continuos Dactylos (vt

ſunt in illo : Panditur interea domus omnipotentis Olympi)confundas,ſolueris verſum. Vnde Terentianus ait, metrum Heroicum vitiari Anapæſto:Hexametrũ vitiant incurrentes Anapæſti.quod quidem verum eſt. Sed ſcitum eſt illud quod ſcripſit quidam:

Diſce quòd anguſtis hærere in legibus amplos
Non deceat vates:magna eſt in carmine virtus,
Sæpe noui quicq̃ venia committere honeſta.
Fluuiorum rex Eridanus,Maro dicere poſſet.

Summi enim poëtæ etiã vitia ſibi licere nonnunquã voluerũt.vt Virgi.qui contra legẽ vſus eſt Anapæſto in prima ſede Heroici : vſus eſt & Cretico.Terẽtianus:Creticus in noſtris,ſi læuia carmina pangas,
Raro inuenitur, qualis hic Maronis eſt:
Inſulæ Ionio in magno,quàs dira Celeno.
Creticus offendit pes primus & aſperat àureis.
Dabo & latentem,ſed notandum Creticum:
Solus hic inflexit ſenſum.nam primus & iſtic
Pes longiorem tertiam dat ſyllabam,
Cc,geminum quoniam ſermonis regula poſcit.

Cui ſententiæ accedit Priſcianus, qui in decimotertio de caſibus pronominum ſic ait:Quãuis reliquis quoq; caſibus vetuſtiſſimi addebant eandem ce,ſyllabam,hicce,huncce,hocce. Ideo tradit plenas eſſe has voces. Vnde vocali quoq; ſequente,per Synalœphen manentibus duobus cc,ſolebant producere hoc, vt Virgil.2. Aenei.
Hocc erat alma parens,ꝙ me per tela,per ignes
Eripis ? & ſic in antiquiſſimis codìcibus inuenitur bis c ſcriptum , ſed ſcriptorum negligentia

prætermiſit vnum c. Hæc ille. Probus in inſtitutis artium: Mutæ literæ nouem ſunt, b, c, d, f, g, k, p, q, t. Hæ omnes præter c, in oratione poſitæ, ſimplices ſunt, quoniam c, litera duplex in ſolis duntaxat pronominibus inuenitur, & vna pro duabus conſonãtibus cedit, vt, Hoc illud germana fuit. Capella lib. 3. Sola mutarum c, antecedentem vocalem producit, & pro duplici habetur, vt hic, hæc, hoc. ¶Hic aduerte, ſecundũ Diomedem, Amphimacrũ Creticũ quoq; dici, quia Cretes ſaltando, eius rhythmica compoſitione vtebantur. Terent. de Amphim. Creticũ appellant eundẽ, fortè Creticũ genus Quomodo ludos ſub armis congruentes ſuccinat. Reperitur & Spondeus quinta in regione, loco Dactyli, vt, Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circunſpexit. Quod fieri debet vel pro grauitate materiæ ſubiectæ vel, pro commiſeratione. Propertius, Sunt apud infernos tot millia formoſarũ. Interdum etiam inuenitur Dactylus in ſexto, vt, Inſeritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida. Terentianus:

Hoc ſat erit meminiſſe locis ꝙ quinq; frequẽter
  Iugem videmus inueniri Dactylum.
Sed non & ſextum pes hic ſibi vendicat vnquã,
  Niſi quando rhythmũ nõ metrũ cõponimus.
Nanq; metrũ certíq; pedes numerúſq; coërcent:
  Dimẽſa rhythmum continet lex temporum.

¶Ponitur in fine (autore Mario Victorino) in ijs verſibus, qui nõ habeant in cæteris omnibus Dactylos: veluti eſt illе in Georgicis: Et ſpumas miſcent argenti viuáque ſulphura, &, Bis

patriæ cecidere manus, quin protinus omnia. quem quidam per ſynalœphen excludunt, vt ſit in ſcandendo omna: nec intelligũt ſynalœphen eſſe cũ vocales inter ſe cõfligunt, vt, Multũ ille &. Quod nequaquã hoc loco adſeri poteſt: quippe abſolutus pes eſt, omnia, velut in illo: Omnia fert ætas. poſſit itaq; eſſe etiã verſus ex Dactylis ſex, ſi modò Metrici admitterent. Recipit Hexameter loco Dactyli Proceleumaticum, vt, Tenuia nec lanæ per cælũ vellera ferri. Quãquam vt Terẽtianus ait, Tenuia poteſt eſſe Dactylus, vbi, v, ſit conſonans. Probus in inſtitutis artium, ponit modũ vnũ poſitionis, ſi poſt vocalem ſubiecta ſit cõſonanti vocalis i, vel u, & correptam vocalem habeat conſequẽtem, vt, parietibus: vbi quoniam prima dictionis correpta eſt, hoc genere poſitionis primam ſyllabam longã efficimus: ſecũdam nanq; ſyllabã reſecamus per medium, & præcedentem conſonantem primæ ſyllabæ conglutinamus: vocalem autem ad tertiam reuocamus, & loco conſonantis defigimus, qui modus poſitionis apud Virgil. frequens eſt, nec vnquam aut vſquam apud Vergilium Proceleumaticus pes inſeritur, quãuis varient ſententiæ. Hoc obſeruauit Virgil. vt nunquam vſus fuerit Proceleumatico, niſi & ibi ſynæreſis fieri poſſit. Proceleumaticus autem dictus eſt παρὰ τὸ παρακελεύειν, id eſt, à cohortatione, & iuſſu nautico, cui ob celeritatem hic pes aptiſſimus eſt. Celeuſma apud Budæum 5. de aſſe, pro adhortatione remigum & nautarum (id quod cani à Symphoniacis ſeruis moris erat apud antiquos)

vſurpatur. Palimbacchius frequenter apud Græcos ponitur pro Dactylo, vt Creticus. Exiſtimatur etiam reperiri Iambus in quatuor ſedibus, Terráſque tractúſque maris. Et, Omnia vincit amor. Et, Congredior, fer ſacra pater, & concipe fœdus. Et, Muneribus, tibi pampineo grauidus autumno. Sed nonnulli per Cæſuram natura breues volunt produci, de qua poſteà. Videtur & Tribrachus aſſumere locũ Dactyli, vt hic, Ille latus niueum molli fultus hyacintho: ſed plerique volunt ibi h, habere vim cõſonantis, quod infrà diſcutiemus. *Tu quanta licentia*, &c. Veteres (autore Beda) regulis in opere metrico liberiùs vtebantur, quas moderni poëtæ diſtinctius ad certę normam definitionis obſeruare maluerũt. Terentianus:

Nemo tamen culpet, ſi ſumo exempla nouella,
Nam meliùs noſtri ſeruarunt metra minores.

Priſcianus: Autores quantò iuniores, tantò perſpicaciores & ingenijs floruiſſe, & diligentia valuiſſe omnium iudicio confirmantur eruditiſſimorum. ¶ *Puer elige legem*. Terentianus: non eſt notandus vnus in tot millibus. Paulopòſt: Quæ potero tangam, tu mihi leges tene. Indecorum eſt carmen Spondiazon, quod ſine vlla varietate omnes in ſe ſpondeos habet: quod genus verſificationis vſqueadeò durum eſt, vt Albinus in libro quem de metris ſcripſit, ita poſuerit: Vile eſt Spondeo totum concludere verſum: Sed iunges aptè Dactylum in verſu.

Vltima cuiuſque eſt communis ſyllaba verſus,

Ne credas eſſe in ſexta regione Trochæum.

Alexandrum Gallum hoc loco perſtringit Deſpauterius,qui ſibi perſuaſerat Trochęum reperiri nõnunquam in ſexto Heroici domicilio: ſic enim habet,Sedes nulla datur, præterquam ſexta Trochæo.Quod omninò negat autor,nã ſyllaba cunctis eſt vltima verſibus anceps. Terent. Vltima nec refert longa ſit, ánne breuis. Sypontinus:Non deſunt qui Trochæũ prorſus ab Heroico arceant,& ne in fine quidem ipſius reperiri velint,Spondeum ſemper in nouiſſima ſede eſſe dicentes::quandoquidem in omni genere metri ſyllaba vltima communis ſit.vide Diomedem lib.2.Quintilianus:Eſt quoddam in ipſa diuiſione verborum latens tempus,vt in Pentametri medio Spõdeo:qui niſi alterius verbi fine, alterius initio conſtet,verſum nõ efficit.Quod ſi in diuiſione verborum latens quoddã tempus comparatur,quid?in fine verſus qui ab altero diuiditur,altérque velut quodam ſpiritus interuallo inchoandus eſt, illic tempus non compẽſabitur,quod in breui poſtrema deſideratur?nã quatuor & viginti temporibus perfecta conformatio concludit Heroicum:ex quibus vnum detrahitur,ſi Trochæus in fine pro Spondeo ponitur, niſi propter diuiſionem tempus illud comparetur.Eraſmus:Vltima carminis ſemper veteribus habita pro ancipiti,verùm nõ cuiuſlibet dictionis,& quod veniæ datur in carmine,fortaſſe dabitur & in colis aut periodis,tametſi ne illic quidem,niſi vt pro breui ſones longam,non cõtra.

In Synepia verò nequaquam idem licuerit. Marius Victorinus: Quidã bono iudicio Trochæũ de verſu Hexametro excludendum cenſuerũt: Quippe omnis ſyllaba ĩ verſu vltima ἀδιάφορος eſt, id eſt, indifferẽter accipitur, nec intereſt vtrũ producta ſit, an correpta: nam cum ita ratio expoſcat, vt pleno verſu vigintiquatuor tempora inſint, admiſſo vtique Trochæo curtabitur numerus temporum, & erunt tempora vigintitria. Fabius de Compoſitione: Clauſula quoque è lõgis firmiſſima eſt, ſed cludent & breues, quanuis habeatur indifferens vltima. Neque enim ego ignoro in fine pro longa accipi breuem, quòd videtur aliquid vacantis temporis, ex eo quod inſequitur, accedere. Aures tamẽ cõſulens meas intelligo multũ referre, vtrúmne longa ſit quæ cludit, an pro longa. Neq; enim tam plenum eſt dicere, Incipientẽ timere, quàm illud, Auſus eſt confiteri. Atqui ſi nihil refert breuis an longa ſit vltima, idem pes erit, verùm neſcio quomodo ſedebit hoc, illud ſubſiſtet: quo moti quidam longæ vltimæ tria tempora dederunt, vt illud tempus, quod breuis ex longa accipit, huic quoque accederet. Terentianus Maurus,

Omnibus in metris hoc iam retinere memẽto,
 In fine non obeſſe pro longa breuem,
Debita nam ſpatij recipit quaſi tẽpora verſus,
 Dum iungit imis conſequens exordium.

Per pentemimerim breuis eſt producta licenter.

Cæſura, quæ inciſum, & inciſio, & ſectio

Latinè dicitur, Græcè autē κόμμα, & τομή, eſt decora terminatio in medio verſuum, vbi ſyllaba naturaliter breuis, licenter producitur. Eius ſpecies ſunt, Hemipentemimeris, quando poſt pedem primum manet ſyllaba partem orationis finiens, ratione cuius breuis producitur. Lucanus, Dum ſanguis inerat, dum vis, materna peregi Iuſſa Cato. Pentemimeris, Latinè ſemiquinaria, quia efficit dimidium quinque pedum, addita enim ſyllaba cum duobus pedibus quinque pedes conſtituet: fit illa cum poſt duos primos pedes ſyllaba relinquitur dictionem terminans, vt Omnia vincit amor. ecce mor, ſyllaba remanet reciſa à dictione amor, & ſimul finit dictionem, & eſt principium pedis. Heptemimeris, Latinè ſemiſeptenaria, quia ſeptē diuidit, fit cum poſt tres primos pedes ſyllaba ſimiliter relinquitur dictionem terminans, vt, Congredior fer ſacra pater, & concipe fœdus. ecce ter ſyllaba remanet abſciſſa à dictione pater, & ſimul finit dictionem, & eſt principiū pedis, & natura breuis producitur per Heptemimerim. ſic autem vocatur, quia habet de ſeptē dimidium: nam ter duo & dimidium ſeptē conſtituunt. Aliquādo etiam poſt quatuor primos pedes reperitur in quinto loco Hexametri ſyllaba breuis naturaliter, per cæſuram producta, vt, Ille latus niueum molli fultus hyacintho. Et, Muneribus tibi pampineo grauidus autumno. Trochaica tertia fit, cū Trochęus tertius exiſtens partem perficit orationis, vt, Nil noſtri miſerere. In illo, At regina, Trochæus eſt in ſecunda regione, incipiens Dacty-

lum. Sunt prætereà qui in quarto etiam loco Trochæum collocant, quod vix vnquam inuenias. Terentianus tamẽ ſibi videtur finxiſſe hũc verſum, quem & Diomedes citat: Quæ pax longa remiſerat arma, nouare parabant. καταληκτικὸν & τροχαϊκὸν vocãt, quartũ Trochęum, qui poſt tres pedes ſequitur, ait Diomedes libro 3. vt etiam ſi poſt duos pedes tertius pes ſit Trochæus, κατὰ τρίτον τροχαϊκὸν, vt vult Victorinus. Sunt etiam, ait Diomedes, qui quartũ Spondeũ in hac cęſura collocant: vt, Inde toro pater Aeneas ſic orſus ab alto. neceſſe eſt igitur aut vnam aut duas ex prædictis in verſu eſſe cæſuras. Tres enim rariſſimè eſſe poſſunt. Debent itaque pedes inter ſe diuidere dictiones. Formãtur autem hæ cæſuræ figuris tribus, ſimplici, cõpoſita, coniuncta. ſimplex eſt cum vna tantum ſectio inuenitur in metro. Compoſita, cum duę. Coniuncta, cum tres, vt, Infandum regina iubes renouare dolorem: dum re, gina iu, bes reno, cæſuræ tres. Sunt qui addant Bucolicam, quam τετραποδίαν dicunt. ſed ea non eſt cæſura, nam neque ſecat dictionem, neq; poſt quatuor pedes relinquitur ſyllaba dictionem terminans, ſed eſt qualitas bucolici carminis, vt pes quartus ſit Dactylus, dictionem terminans: atque ideò τετραποδίαν vocant. Bucolica fit additis duabus breuibus heptemimeri. Dicta eſt autem bucolica, quia eſt peculiaris bucolici carminis, & Theocritus qui paſtoralia poëmata conſcripſit, hac plurimum vſus eſt. vbi primus pes etiam ſecundum Donatum Dactylus eſſe debet, & partem termi-

nare orationis.

Pentametrum carmen.

Pentametrum vult quinque pedes. pes tertius eſto
Semper Spondeus, quartus quintúſque Anapæſtus.
In reliquis Spondeus erit, vel Dactylus, vt vis.

Pentameter verſus dicitur, quòd quinque pedum regiones habet, à πέντε, quod eſt quinque, & μέτρον menſura. Diuiditur in duo commata. Primum comma conſtat indifferenter è Spondeis vel Dactylis, & ſyllaba longa, quem ſemipedem primum vocant. Secundum è duobus Dactylis & ſyllaba, qui ſecundus ſemipes appellatur. alij verò dicunt primum & ſecundum pedem poſſe eſſe indifferenter Dactylum vel Spõdeum, tertium Spondeum duntaxat: ita tamen vt prima ſyllaba Spondei ſit extrema dictionis præcedentis. & propterea ſi inueniatur aliquando breuis, defendi cæſura ſemiquinaria, vt, Arte leuis currus, arte regendus amor. Terentianus:

Quidã (quia gemino conſtat de cõmate verſus)
Cludere comma prius non timuere breui:
Nanq; referre nihil ſit qualis ſyllaba fini,
Commatáq; hoc ipſum iuris habere volunt:
Idcirco & verbo nunquam vno colla ligari,
Vt conſtet parti finis vtrique ſuus.

¶ *Ligari,* id eſt nunquam volunt commata contineri & comprehendi *uno uerbo,* id eſt libero & perfecto, vt *ſit finis ſuus utrique parti,* id eſt com-

mati. Subiungit Terent.

Tantam noſtra nequit mēſura abſoluere litem,
Malo tamen longa cludere comma prius.

Diomed. lib. 3. de Pentametro: Tertiam regionem ſine dubio perpetuò Spondeus debet habere. Quartus & quintus pedes ſunt ſemper Anapæſti. Quintilianus libro nono: Nec ego cùm pręcedentes pedes poſui, legē dedi, ne alij eſſent. Sed quid ferè accideret, quod in præſentia videretur optimum, oſtendi. Et quidem non optimè eſt ſibi iunctus Anapæſtus, vt qui ſit Pentametri finis. Prior autem ſcandēdi modus per duo cōmata, & duos ſemipedes eſt facilior. Pentameter ab Hexametro originem ducit, duo enim Dactyli cum cæſura longa bis repetiti Pentametrum efficient. Terentianus de Pentametro verſu:

Hexametro cum quinq; pedū ſubiungitur iſte,
Partes Heroi dupliciter recipit,
Quas pentemimeres poſſis diſiungere forma,
Has ſi quis geminet, Pentametrum faciet.
Sed refert duo ſint, an Dactylus vnus in illa.
Cum duo ſunt, eadem bis repeti poterunt.
Subiungam exemplum, quo fiat planius iſtud,
Deſine Menalios, deſine Menalios.
Dactylus vt duplex, non bis ſententia currat,
Deſine Menalios Muſa, referre iocos, &c.

Iungendo ergo ſimul duos Dactylicos Archilochios hypercatalecticos fiet Pentametrum, hoc modo: Gaudia, ſi ſapias, Condita pectus alat. Formari etiam ex Aſclepiadæo poteſt addita fini ſyllaba, Mecœnas atauis ędite regibus: ſic redigetur in Pentametrum, Mecœnas atauis ędite

principibus. Eſt & reciprocus in Iambicum trimetrum, Vnica perpetuò noſtra Sibylla vale: ſic recurrit, in Senariũ, Vale Sibylla, noſtra perpetuò vnica. Pentameter licet Hexametro ſubiungatur, legimus tamen monocolon. Lampridius de Commodo imperatore:

Commodus Herculeum nomen habere cupit,
Antoninorum non putat eſſe bonum.

Iungitur aliquando Iambico trimetro. Eius non ita certus eſt autor. Terentianus,

Pẽta metrũ dubitãt quis primus finxerit autor,
Quidam non dubitant dicere Callinoum.

Alij tradunt fuiſſe Terpãdrum Colophonium, alij Naxium quendam Theoclen. Sunt qui Callinoum apud Terent. legũt. Strabo lib. 13. Callinũ Elegiæ poëtam vocat: qui fortè Elegiæ vocatur poëta per Antonomaſian, quòd autor Elegiæ fuerit: qui fortè Callinous à Terentiano dictus eſt per Epẽtheſin. Quintilianus lib. 10. principem Elegiæ Callimachum appellat, ſed non quòd autor Elegiæ fuerit, ſed velut Roſcius quidam. Statim enim ſubiungit: ſecundas cõfeſſione plurimorum Philetas occupauit. Deſinit eleganter in diſſyllabam dictionem, nec ineptè in tetraſyllabam, vel pentaſyllabam, ineptè in triſſyllabam, rarò in monoſyllabam, niſi præcedat altera, vt, Præmia ſi ſtudio conſequar iſta, ſat eſt. Quando Pentametrum carmẽ Heroo annectitur, Elegũ vocatur. vnde Elegia definitur à Diomede, carmen compoſitum Hexametro verſu Pentametróq; adinuicem poſitis. Elegia autem dicta, παρὰ τὸ ἐλεεῖν τοὺς τεθνεῶτας, quòd hoc car-

mine laudes defunctorum comprehendebant, vel, παρὰ τὸ ἐλεος, quòd vetuſtiſſimi ſuas lamẽtationes Elegis decantarent, nam factum eſt vocabulum à voce qua in fletu vtimur. Perottus: Tractum eſt id vocabulũ à voce ee, qua in fletu atque eiulationibus vtimur. vnde eiulationem quoq; dictam arbitror. Ideo autem hoc nomen Elegiaco inditum, quòd in funeribus ſepulchriſque defunctorũ cani ſolebat. Vnde tractum eſt, vt Epitaphia Elegis præcipuè ſcribantur verſibus. Ouidius in Epitaphio Tibull.

Flebilis indignos Elegẽia, ſolue capillos,
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Terent. Hos Elegos dixere, ſolet ꝙ clauſula talis
Triſtibus, vt tradunt, aptior eſſe modis.

¶*clauſula*. Clauſulas ait Acrõ in Epodis Horat. Lyrici appellant quaſi præciſos verſus integris ſubiectos: quo ſenſu Pentametri, clauſulæ dicuntur: ſubijciũtur enim Heroicis, qui integri ſunt: hi autẽ ex Heroicis ducuntur, diminuti. Horat. ad Alb. Tibullum, Neu miſerabiles decantes Elegos. Apud Romanos autem id carmen, quod cũ lamẽtatione extremum mortuo accinitur; Nænia dicitur, quam Simonides inſtituiſſe fertur. Et Elegia videtur tractum cognominari, quod mortuis vel morituris adſcribitur nouiſſimum. Crediderim ego, præficas, quæ conductæ plorabant in funere, hoc carmine vſas lugubrem Nęniam ceciniſſe. Procedente deinde tempore alię quoque res eo verſu ſcribi cœperunt. Horatius,

Verſibus impariter iũctis querimonia primum,
Mox etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

Elegiam quis primus ſcripſerit, vt iam dixi, in ambiguo eſt.nõ deſunt qui Archilocho tribuãt. Horatius in arte, Quis tamen exiguos Elegos emiſerit autor,Grammatici certãt,& adhuc ſub iudice lis eſt.Vbi animaduertendum eſt,poëtam maximè propriè exiguos Elegos appellaſſe,quòd præcipua eorum virtus ſit, vt admodum leues tenuéſque reddantur.Propertius,Dicite quo pariter carmen tenuaſtis in antro. Neque tamen ſola illa virtus requiritur in ijs,ſed vt in Heroicis carminibus ſumma laus eſt,ſi alta, ſi ſonora, grauitatíſq; plena ſint:ita in Elegis non minor, ſi ſuam illam mediocritatem, ſeu exiguitatem tueantur. Vbi Horatius ſubiunxit,*lis eſt*, irridet Grammaticos, quòd de re leui & inutili certẽt. Hexameter verſus cum Pentametro ſenſum cõcludat,aut ita ſuſpẽdat,vt omnino duobus proximis abſoluatur. Nec licet ponere dictionem regẽtem in Pentametro, & rectam Hexametro ſubſequenti,aut contrà.

Aſclepiadæum carmen.

Vult Aſclepiadis verſus Spondeon habere

Principio, binos hinc ritè capit Choriambos.

Pyrrhichius ſequitur, quo non velocior alter.

Aſclepiadæum carmen ab Aſclepiade autore, non illo quidẽ medico Pruſienſi, ſed altero poëta dictum, vocatur & Choriambicum à pede. Duobus autem modis ſcãditur: nam primus eſt

Spondeus,quem duo ſequũtur Choriambi, quibus ſubijcitur Pyrrhichius.Sunt qui dimetiãtur hoc modo:primum pedẽ Spondeum collocant, Dactylum ſecundũ eſſe volunt & illi proximam cæſuram longam,quam duo conſequuntur Dactyli, vt, Sancto -- rum meri - v v tis - inclyta - v v gaudia - v v. Poteſt ad Pentemimerim Elegiacum redigi,addita ſyllaba,ſic, Sanctorũ meritis inclyta gaudiola. Fortunatianus de Choriambico loquens:Hoc metrum videtur à Pentametro natum:nam habet geminum pentemimeres: primum Acatalectum, ſecundùm catalecticum:Idẽ dicit hunc verſum Aſclepiadæum appellari nõ ab inuentore, ſed quòd familiariùs & frequẽtiùs ſit eo vſus Aſclepiades:ante quem Alcæus & Sappho vſi ſunt. Terentianus:

Tendunt latiùs hoc genus,
Duos vt Choriambicos
Includant medios pedes:
Et ſit verſus ad hunc modum:
Carmen Pierides dulciſonum dabunt:
Duplex hìc Choriambus eſt,
Primus,*Pierides*:*dulciſonum*,ſequens:
Sic *carmen* prius eſt:finis item,*dabunt*.
Vt pes hæc habuit prior:
Sunt qui tradiderint vltima verſui
Tanquam Pentametro ſyllaba dempta ſit:
Quam ſi reſtituas Pentametrum fore
Carmen Pierides dulciſonum dabunt.
Carmen Pierides dulciſonum dabitis.
Vt verſus quoque ſic conſtet Horatij:
Mecœnas atauis ædite regibus.

Mecœnas atauis ædite principibus.
Poteſt etiam ab Hexametro naſci, detracto in medijs partibus diſſyllabo verbo & vltimis, vt, Nymborũ in patriã loca fœta furẽtibus Auſtris: Nymborum in patriam fœta furentibus. Rurſus illi Aſclepiadæo addens ad finem diſſyllabum verbum, & monoſyllabum longum, vel diſſyllabum breue in medio, facies Hexametrũ, vt, Mecœnas atauis ędite regibus: Mecœnas atauis ſic ędite regibus olim. Aliquando eſt Monocolon, aliquando ſubijcitur Glyconico, & Pherecratio. Appellatur tamẽ à nonnullis Choriambicus verſus, qualis eſt ille Horatianus: Te deos oro, cur Sybarim properes amando: & ille, Ergò ades huc ambroſia de Veneris palude.

Sapphicum, Phalæcium & Alcaicum.

Quinq; pedes Sapphus carmen capit. eſſe Trochæus
Vult primus, quartúſque & quintus: tertius autem
Dactylus ipſe locum ſumes Spondee, ſecundum.
Hoc carmen poſt tres verſus ſibi iungit Adonis
Metrum, quod ſic fit, Spondeum Dactylus anteit.
Cùm facies carmen, quod compoſuiſſe Phalæcus
Dicitur, in prima Spondeus erit regione.
Dactylus inde datur, triplicem cui iunge Trochæum.

Triplex eſt Hendecaſyllabum, Latinè vndenariolum, à numero vndecim ſyllabarum, Sapphicum, Phalæcium, & Alcaicum. Diſtant autem inter ſe Sapphicum & Phalæcium ſola diſpoſitione pedum. Alcaicum ab vtroque etiam varietate. Numero pulchrè his tribus conuenit. poteſt aliud in aliud redigi & mutari ſolo verborum ordine mutato. quod ſic conſtat:

Sapphicum, Me capit lenis facies Sibyllæ.
Phalæcium, Me lenis facies capit Sibyllæ.
Alcaicum, Lenis Sibyllæ me facies capit.

Denominatur autē Sapphicū à Sappho Leſbia, quæ nata eſt quadrageſimaſeptima Olympiade, quo tempore Alcęus, Steſichorus, & Pittacus floruere. prima plectrum adinuenit, ſcripſit Lyricorum carminum libros nouem, Epigrāmata, Elegias, Iambos & Monodias Aeolica lingua, de qua & Alcæo ἡρωιλεγεῖοι græci hoc habent:

His Mitylenæus cunctis prælatus honore
Alcæus muſam temperat Aeolicam.
Agnoſcens patriam Sappho, & dialecton eandē,
Cleide prognata eſt, Eurygiróque patre.

❡Dialectos, eſt idioma, loquendi & linguæ proprietas, diſputatio rerum, lingua. Quintil. vocat genera quædam loquendi, Laërtius dicit eſſe dictionem ſeu locutionem expreſſam iuxta gentium varietatē. Sappho fertur adamaſſe Phaonem Leſbium, quòd illi contigiſſet herba, quam Cētumcapita vocat Plin. 22. 8. Huius carminis pars ſuperior eſt ex Trochaico. Nam in illo verſu, Iam ſatis terris niuis atque diræ, ſi his verbis, Iam ſatis terris, aliquid ſuppleas, facies integrū

Trochaicum, ſic, Iam ſatis terris virente ſecta pinus ex agro. Inferiora autem verba hæc: Niuis atque dirę, de principio Iambici ſunt: quibus addendo quę poſſunt, & deſunt, Iambicum poterit impleri, ſic, Niuis atq; diræ, ſecta pinus ex agro. Hæc metra quæ ex commatibus conſtant, vnde partes habēt, inde & pedes ſumunt. Tribus Sapphicis verſus Adonius ſubiungitur in quarto ordine. poſteà ſunt iterum eiuſdē generis, & quartus rurſus Adonius, & ſic ad finem vſque. ſic autē dicitur ab Adonio inuentore, vel ab Adone, nō illo rege cuius hortos mirata eſt antiquitas, ſed à Myrrhæ filio, à Venere dilecto: quē interfectum ab apro Dea moleſtè tulit, & eius cruorem in florem mutauit, ab eo nominatum Adonium, cuius meminit Plin. 21. 10. Hoc genere carminis vſi ſunt Catullus & Horatius, Martialis nunquam, vt Horatius nunquam Phalæcio. Hoc genere ſcribimus deorum & Heroum laudes, & iuueniles amores. Tale eſt hoc noſtrū de mea Sibylla Primetia, ex imitatione veterum.

Ode dicolos tetraſtrophos.

In meum venit thalamum Sibylla,
Præferens ignem, licet ignis eſſet,
Dum ſuaderent placidos cadendo
Sydera ſomnos.

Par deæ viſa eſt, ſimiliſque Nympha,
Nympha mortalis, placidum renidens,
Luceque inferta radijs repleuit
Læta cubile.

Talis Idæo placuit marito,
Hoſpitem pulchrum mulier ſecuta,
Vnde Graiorum cecidêre lento
Pergama bello.

Dicitur talis thalamos adiſſe
Gentis Argiuæ ſpecioſa Laïs:
Pingitur talis Phrygia ſub Ida
Viſa Dione.

Attulit pulchræ Genium Sibyllæ,
Et ſuum ceſtum genitrix amorum:
Quo pater pulchra fierem repentè
Prole beatus.

O Venus regina, creata ponto,
Quæ Gnido gaudes, Amathunte, Golgis,
Aeriis, Ancone, quid huc frequentas
Pauperis ædes?

Formæ adaugebant Charites honorem,
Virginis Zonæ inſidias parantes.
Formam adaugebat locuples diſertæ
Copia linguæ.

Vt loqui cœpit mea lux Sibylla,
In labris Peitho ſedet, atque Ithoni
Vrbis hanc cultrix regit, & loquelæ
Rector Agyæus.

Sic dies nobis medij ac beati
Sæpe contingant, mediæque noctes,
Præ quibus cum Dijs agitare nolim
Iugiter æuum.

¶*Golgis.*) Ven⁹ in Golgis Cypri loco colebatur, quemadmodũ Pauſanias in Arcadicis meminit. Theocritus in Syracuſanorum dialogo:
Quæ Golgon regina Venus colis Idaliúmque.
Refert Tacitus vetuſtiſſimi in Cyprio delubri Veneris Paphiæ Aeriam autorem fuiſſe, cuius

Amathus filius Veneri Amathuſiæ templũ & ipſe condiderit. Itaque à fani conditore Aeria Paphios etiam Aerios appellatos: quemadmodum ab Amatho, Amathuſios, ſiue ille Aeriæ filius, ſiue Herculis (vt ait Stephanus) fuerit. *Ithoni.*) Ithonũ vrbs Theſſaliꝫ ab Ithono Bœoti filio, ſiue Ithonē eã, ſiue Ithona dicas: vnde Pallas tēplis poſitis Ithonia dicta. Ithoniæ Pallades duæ, prior Theſſalica, Bœotia poſterior. Bœotia quæ nunc eſt, priùs Aonia dicebatur. Papin. Aonia diuertis Ithone. *Agyæus.*) Sũt apud Græcos Agyæi Dorico vocabulo in coni figurã deſinentes colũnæ, quas ante fores ædiũ erigebãt, Apollini ſacræ, vel, vt quidam dicũt, Baccho, vt verò alij, etiam vtriſqꝫ. Sũt & Attico item ante ædiũ fores aræ Apollinis: quam rem attigit Sophocles his verſibus:

Ignibus odoris aræ Agyææ nitent,
Suffitu halantes myrrhæ lachrymas barbaro.

Itaque Apollinem cum Thyreum, tum etiam Agyæum vocãt. ¶Alcaicum carmen ab Alcæo inuentũ, quod & Hendecaſyllabum, cõſtat Spõdeo vel Iambo, Iambo, cæſura longa, & duobus Dactylis, vt, Vides, vt alta ſtet niue candidum. Alcæus autor, vt ſcribit Quintilia. 10. in parte operis aureo plectro meritò donatur, qua tyrannos inſectatur, multùm etiam moribus confert, in eloquendo quoque breuis & magnificus & diligens, & plerunque oratori ſimilis: ſed & luſit, & in amores deſcendit, maioribus tamẽ aptior. Hendecaſyllabum Phalæciũ à Phalæco vel Phalæcio inuentore, ſine Pentemimeri eſt mãcum.

Auſonius,
Iſtos compoſuit Phalæcus olim,
Qui Pentemimerim tenent priorem.
Sunt quos Hexametri creant reuulſi,
Vt Pentemimeres prior locetur,
Tum quod Bucolicæ tome relinquit.
Sunt & quos generat puella Sappho,
Quos primos regit Hippius ſecundus.
Vt claudat Choriambõ Antibacchus. Eſt aliud Terent. Hoc Cereri metro cantaſſe Phalæcius olim Dicitur,hinc metrũ dixere Phalęciõ iſtud. vbi idem loquitur Terentianus de Choriambico Phalęcio:quale eſt Septimij, Iane pater, Iane tuẽs,diue biceps,biformis,&c.Fortunatian⁹: Hoc metro Phalęcus ſcripſit Hymnos Cereri & Libero,quod ſcilicet deorũ venerationi cõuenire credidit.Terẽ.legẽ oſtẽdit Hendecaſyllabi:
Quem nos Hendecaſyllabum ſolemus,
Tanquam de numero vocare verſum,
Tradunt Sapphicon eſſe nuncupandum:
Namq; & iugiter vſa ſæpe Sappho,
Diſperſóſque dedit ſubinde plures,
Inter carmina diſparis figuræ.
¶*Fortunatianus: Phalæcus uerſus apud Sappho frequens eſt,cuius in quinto complures huius generis & continuati & diſperſi leguntur.*
Sed primi pedis ante lex tenenda eſt:
Spondeum ſiquidem videmus iſtic
Tanquam legitimum ſolere poni,
Poſt hunc,Dactylon,atq; tres Trochæos.
Cui nomen quoq; Phaleco dederunt.
Verùm mobilis hic locus frequenter,

Non ſolum recipit pedem,vt loquebar,
Spondeum,ſed & aptus eſt Trochæo,
Nec peccat pede natus ex Iambo.

Huius metri pars prior de Hexametro eſt, quã ſupplebimus,ſic,Vidi, credite, per liquidos Neréida fluctus. Poſterior autem pars à principio Iambici eſt,quam ſi ſuppleamus,integrum Iambicum faciemus,ſic, Lacus Lucrinos inter alta nauium. Terentianus de Phálæcio:

Hic per commata ſepties feritur,
Quales Hexametron tomas habere
Iandudum tibi differens,probaui:
Ex queis nunc duo metra copulari
In vnum ſolidum videbis ortum,
Quod componitur ex vtroque metro.
Pars Heroica tum prior, duobus
Spondeo pede,Dactylóque conſtat:
Et quem ſemipedem eſt neceſſe linqui,vt
Sit Pentemimeris tomæ locata:
Exin cætera portio eſt Iambi:
Quod non difficile eſt ſtatim notare,
Cum talis fuerit figura verſus:
Carmen Pierides ſtruunt ſorores.
Hæc exordia verſuum duorum,
Carmen Pierides,quod Hexametri eſt:
Atque Iambicon hoc,*ſtruunt ſorores*,
Compleri poterunt vtroque metro.
Carmen Pierides pangunt miſerabile muſæ.
Struunt ſorores Atticæ dirum nephas:

Fieri poteſt Glyconicum, addendo pedem Bacchiũ,qui & Oenotrius dicitur,fini, vt, Sic te diua potens Cypri,ſic fiet Phalæcium, Sic te diua

potens Cypri iuuabit.

M, necat Elliþſis, ceu vocalem Synalœpha,

Dictio dum ſequitur, quæ à vocali incipiatur.

Non perimens longam rarò breuiare poëta

Conſueuit: veluti, Sunt inſulæ ore canendæ.

Id mirare magis vocalem nil variatam

Interdum cernes, velut Ionio immenſo.

Heu, o, non perimes: at o, interdum breuiabis.

Vocalem perimunt plerunq; in nomine eodem,

Sic Maro docte, refers Aluearia vimine texta.

Synalœpha eſt, cum inter duo verba in concurſu duarum vocalium nulla intercedente conſonante, vnius fit vocalis eliſio, vt, Atq; ea diuerſa &c. Fiunt autem ſynalœphæ his modis: Interdum enim breuis in breuem cadit, vt, Obſedere alij telis anguſta viarum. Interdum breuis in longam, vt, Tænarias etiam fauces alta hoſtia Ditis. Interdum longa in breuem, vt, Oppoſitáſq; euicit gurgite moles. Interdum diphthongus in ſimplicem longam, vt, Dardanidæ è muris. Aliquando breuis in diphthongum, vt, Arua neque Auſoniæ ſemper. Interdum diphthongus in diphthongũ. Operæprecium eſt ſcire Dactylicum verſum Synalœphas vbiq; poſſe recipere. Interdum ſanè vocales inter ſe con-

currentes Synalœphen fieri vetant: & ſi verſus impleri nequiuerit, nulla eliditur, vt, Et ſuccus pecori,& lac ſubducitur agnis. Ellipſis eſt conſonantium cum vocalibus aſperè concurrentibus difficilis ac dura colliſio. Beda indifferenter vocabulo Synalœphæ pro Ellipſi vtitur in ratione metrica. Quæcunq; verba,inquit,in m,terminãtur ſequente dictione à vocali incipente, ſyllabam vltimam perdunt ſemper,aut minuunt,excepto quum ab h, ſequens ſermo inchoauerit. Tunc enim in arbitrio poëtarum eſt, vt aſpiratio inſtar fortium conſonantium Synalœphen arceat. Iuuenalis tamẽ dixit, Quò te circũagas? &,Frigida circũagant pigri ſarraca Bootæ. Eraſmus de R.P. Mecaciſmus eſt,dum plus ęquo exprimitur m,incidens in finem dictionis ſequente verbo,cuius prima ſit vocalis,vt,plurimũ audet, hic volunt m, euaneſcere, vt ſones plurimaudet. Sicut in illo Cicer. Quouſq; tandẽ abutêre. tandabutêre dici volunt. Quod vt nolim refellere,ita credo nõnihil intereſſe inter ſonos, quum dicimus animam agit,& quũ,anima agit. Nam in priore niſus ſentitur volentis exprimere m. Vnde Fabius admonet m, in talibus ſyllabis neq; prorſus audiri, neq; tamen non audiri. Nec ſolum vocalis per Synalœphen,& m, cum præcedente vocali per Ellipſin abſumitur, ſed etiam S,nonnunquam interimitur,vt apud Ennium, Spernitur orator bonus, horridus miles amatur. Lucil. Nam neq; Lucanis oriundi montibus capri. Aliquando inuenitur cum ſua vocali interimi. Iuuenalis,Diſpoſitis prędiues hamis.

Virgil. Aut ouium fœtus aut vrentes culta ca-
pellas. Autor carminis moralis, Succeſſus indi-
gnos nolito ferre moleſtè.Idem, Quod noſti fa
ctum non rectè noli ſilere . Cicero in perf.ora.
Quinetiam quod iam ſubruſticũ videtur,olim
autem politius , eorum verborum quorum eæ-
dem erant poſtremæ duæ literæ, quæ ſunt in o-
ptimus, poſtremam literam detrahebãt niſi vo-
calis inſequebatur , Ita non erat ea offenſio in
verſibus , quam nunc fugiunt poëtæ noui , ita
enim loquebantur , Qui eſt omnibu' princeps,
non omnibus princeps, &c. Quanuis Græci S,
literam ἀρκτικὸν στοιχεῖον appellent, quòd om-
nibus ferè mutis atq; etiam M,liquidæ prępona
tur, vt, σβεννύω,σπάρθη,σκῆπτρον,στέμμα,&c.
Quidam verò ἄσημον,& μονάδικον vocant, quod
ſuæ cuiuſdam ſit poteſtatis,& ſolitaria litera.nã
cum cæteræ ſemiuocales in quatuor liquidas, l,
m,n,r,duáſq; duplices diuidantur, ipſa ſola qua-
ſi innominata & ſolitaria ſemiuocalis rema-
net. A Terentiano modò vegeta,modò viuida,
modò fortiſſima litera dicitur , quia præter cæ-
teras conſonantes , & præponi poteſt alijs con-
ſonãtibus in principio dictionis,vt, ſcutum,ſpa-
tium,ſtamen,ſcribo, ſtrues, ſclopus, ſplendidus,
& ſupponi in fine, vt ſcrobs, frons, hyems, ars,
puls,ſtirps,laus,Theſeus.Et in Heroico Hexame
tro poteſt ex Tochæo Spondeum facere , vt
inferius dicemus , cum id mutæ liquidis adiun-
ctæ non queant. De ijs colliſionibus ſcribit Ci-
cero in oratore: Vt in legẽdo oculus,ſic animus
in dicẽdo proſpiciet quid ſequatur, ne extremo-

rum verborum cum inſequentibus primis concurſus aut hiulcas efficiat voces, aut aſperas. Quanuis enim ſuaues grauéſve ſententiæ, tamē ſi inconditis verbis efferuntur, offendent aures, quarum eſt iudicium ſuperbiſſimum. Quod quidem Latina lingua ſic obſeruat, nemo vt tam ruſticus ſit, qui vocaleis nolit coniungere. paulò poſt, de oratione Platonis loquens, In ea eſt crebra iſta vocum concurſio, quam magna ex parte, vt vitioſam, fugit Demoſthenes. Sed Græci viderint: nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere voces conceditur. vbi Melanchthon, Græci faciunt Synalœphas in oratione ſoluta, nos non facimus. Subiungit Cicero, Indicant orationes ipſæ horridulæ Catonis, indicāt omnes poëtæ, præter eos, qui vt verſum facerent, ſæpe hiabant: vt, Næuius, Vos qui accolitis Hiſtrum fluuium, atq; Algidam. & ibidem, Quam nūquam Vobis Graij, atque Barbari. At Ennius ſemel, Scipio inuicte. Et quidem nos, Hoc motu radiantis Eteſiæ in vada ponti. Hoc idem ſæpius noſtri non tuliſſent, quod Græci laudare etiam ſolent. Sed quid ego? vocales ſine vocalibus ſæpè breuitatis cauſa contrahebant, vt ita dicerēt, multi' modis, vaſ' argenteis, palm' & crinibus, tecti' fractis. Quid verò licentius, quàm quòd hominum etiam nomina contrahebant, quò eſſent aptiora? Nam vt duellum, bellum, & duis, bis: ſic Duellium eum, qui Pœnos claſſe deuicit, Bellium nominauerunt, cum ſuperiores appellati eſſent ſemper Duellij. Quinetiam verba ſæpe contrahuntur, non vſus cauſa ſed aurium. Quo-

modo enim veſter axilla,ala factus eſt,niſi fuga literę vaſtioris? Quam literam etiam è maxillis, è taxillis,& vexillo,& paxillo,conſuetudo elegās Latini ſermonis euellit. Libenter etiam copulando verba iungebant,vt ſodes,pro ſi audes,ſis pro ſi vis. Iam in vno capſis tria verba ſunt:ain' pro aíſne:nequire, pro non quire:malle pro magis velle:nolle pro non velle. Dein etiam ſæpe, & exin,pro deinde,& pro exinde dicimus.

¶Nonnunquam aduerſus has leges ſyllaba vocali vel diphthongo finita,ratione ſequentis vocalis in initio alterius dictionis non excutitur, & modò producit,modò corripitur. Marius Victorinus: Cōiunctas quoq; ſyllabas animaduertere nobis intentio eſt:nā coniunctæ ſyllabæ dicuntur,cum longa ſyllaba in vocali finitur,& à vocali excipitur: atq; ideo longa illa ſyllaba natura breuis eſt, quòd eam vocalis terminauerit & excipitur à vocalibus. Hoc exemplo: Te Coridō ô Alexi. Sic enim ſcāditur:Te Cori,Dactylus – v v: don ô a,alius Dactylus – v v:cuius media ſyllaba ô natura longa eſt. Sed quia & ipſa vocalis conſtat,& excipitur à vocali cōiunctione ſyllabarum, & quaſi cognatione vocalium, idcirco breuis eſt,veluti gratificatur,& eſt huic ſimilis ille verſus,vt:Credimus an qui amāt. Credimus Dactylus eſt – v v:anquia,alius Dactylus – v v. Sed qui media Dactyli natura longa ſyllaba,ſed hæc à vocali vt ſuperior terminatur, & excipitur à vocali breuis eſt. Non enim in hoc, aut in ſuperiori verſu Synalœphen facere potes ſine vitio, verſus erit ex Trochæo ſi feceris Sy-

nalœphen,qui niſi nouiſſimus in verſu Heroico eſſe non poteſt. Si tamen in huiuſcemodi coniunctis Synalœpha fieri poteſt, quæ à Dactylo Spondeum faciat,profecto Spondeus vſitatior inuſitato Dactylo anteponendus eſt,vt illud:

Nec tota tamen ille prior præeunte carina.

Scanditur enim ſic:Nec to,Spondeus eſt,--: ta tamen,Dactylus,-v v:ille pri,Dactylus eſt,-vv: or præ,Spondeus eſt,--. Hic autem vides poſſe alios dicere Dactylum eſſe ratione coniunctarum ſyllabarum,quæ præ ſyllaba vocali finitur, & excipit à vocali quæ eſt e.Sed cũ Synalœpha fieri poſſit,faciátq; Spondeum,cur non eã viam ſequamur quam nobis conſuetudo frequentior tritã reliquit ante?Nouiſſim⁹ pes eſt huius verſus,Enteca, quam idcirco præpono, cum Synalœphæ hæc ſit conſuetudo, vt interior ſyllaba vocalis excludatur: tunc tamen non excludi ſcias,cũ ſola ſyllabã facere poteſt interior, quæ excludi nõ poteſt. quod dico huiuſmodi eſt exemplum: præeunte,per duas e ſcribitur,eſt ergo Spondeus,or præ, ſequuntúrq; circa ſe duæ vocales:vt,Pręeunte carina.Sed quomodo e litera eadẽ & ſyllaba eſt,u autẽ ſyllaba vt ſit,adhibeat ſibi cõſonantes n & t,idcirco rectiùs ente carina,quàm unte carina, per Synalœphan ſcandimus. Exempla plura ſubiecimus. Inſulæ Ionio in magno,quas dira Celeno. Et hic, Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto. Et hic, Stant & iuniperi & caſtaneæ hirſutæ. Et hic, Et ſuccus pecori,& lac ſubducitur agnis. O ego quantum egi,quàm vaſta potentia noſtra eſt! Et hic,Hæc

Helenum ceciniſſe penatigero Aeneæ. Iuuen.
Viuendum rectè, tum propter plurima, tũ his.
Quod ad Græcorum facimus imitationem, qui & vocales longas, & diphthongos in fine dictionis ſequente vocali, modò corripiunt, modò lõgas ſeruant. Nunc ad Synęreſin, quæ & Synecphoneſis & Synizeſis dicitur, tranſeamus, quæ fit cum duæ vocales nulla interueniente conſonante pro vna accipiuntur: Et vel longa & breuis pro longa ponitur, vt, Fixerit aeripidem ceruam, vbi ae longa & breuis pro vna longa accipiuntur, & fit Dactylus aeripe – v v. vel cum breuis & longa pro vna lõga, vt, furias Aïacis Oïlei, vbi ei breuis & longa pro longa. ſic in aureo, & aureis, vt, ſolio cum Iuppiter aureo, &, Dependent lychni laquearibus aureis. Idem & in media fit dictione, vt ferreíque Eumenidum thalami, &, Centum æerei claudunt vectes, in ferrei, & ærei breuis & longa pro vna longa. Hîc obiter animaduertendum eſt, quod ſcripſit Pierius Valerius. Tres ſunt, inquit, figuræ, quæ ſyllabam ex duabus vnam conficiunt, Craſis, Synæreſis atq; Synizeſis. Déque his duæ, Craſis & Synæreſis, vnam ſcribunt: vel vocalem, vel diphthongum, ſyllabámque vnam enunciant. Synizeſis verò duas quidem vocales, ipſáſque diſtinctas ſcribit, ſed vnam tantùm dimenſioni pedum imputat. Alij poëtæ Synizeſin, vt recta declinationis forma appareret, adamarũt, alij Craſin aut Synęreſin, vt quæ minus offenſionis in verſuum enunciatione præ ſe ferrent, ſequi maluerũt. Cariſius qui genitiuum numero ſyllabarum minorẽ eſſe

nominatiuo non poſſe contendit,magis eos de‑ notatos ait, qui maluerunt per vnum i, imperi, ingeni dicere, quàm ſecundum regulam impe‑ rij,ingenij geminata i,litera.Neque tamen infi‑ ciatur placuiſſe Virgilio per vnum i,ſcribere:Il‑ le vrbem Patauí.Quare ita demum inferiùs ait: Plus in hac ratione geminādi in maſculinis ani maduertimus, vt, hic Aemilius, huius Aemilij. Atque vt interim eorum opiniones nō diſſimu‑ lemus,qui non genitiuos tantùm, verumetiam vocatiuos,ô Antonij,ô Iulij geminato ij, enun‑ ciari debere ſcriptis prodidere.Hæc ille.

Omnib⁹iſta licet,huic,cui dij,dijs quoq; dehinc,dein,

Proin, deeſt, ſemianimis, prout, deorſum, prehende‑

re,ſeorſum:

Sic ij,ſic ijſdem.quædam diuiſa leguntur.

Synęreſis ſæpe fit in nominibus in contextu po‑ ſitis,eadémque omnibus permiſſa,vt,Huic con‑ iunx Sichæus erat. Diſſyllabum eſt hîc, Lætus huic dono videas dare dona nepotes, apud Sta‑ tium. Cui ſæpe pro vna inuenitur,vt,Cui pater intactam dederat.Priſcianus. Quæritur inquit in hoc modo declinationis, cum omnis datiuus vna ſyllaba minor ſit genitiuo,vt illius illi,iſtius iſti, ipſius ipſi, an huius huic, cuius cui,eius ei monoſylla ſit accipienda in datiuo? quod regu‑ la exigit & pleriq; poëtarum metris cōprobant, vt Virg.Cuíq; loci leges dedimus. Idem Huic à ſtirpe pedes temo &c.Et vbiq; hoc ſeruat. Inue‑

nitur tamē,ſed raro,diſſyllaba. Dicit ergò Priſcianus cum Terentiano:Cui ſiquando dico,nō erit diſſyllabum.Nonnunquam tamen non modò diſſyllabum eſt,ſed vtranque corripit,vt,Col latus cui gallus eſt Priapus.& Paulinus:Conſcia ſeruitij quid geſſeris,& cui tandem.Fortunatianus tamen:Cui tandem hoc opus eſt cum virginitatis honore.In quibus exēplis Cui,monoſyllabum & diſſyllabum deprehendis.Sic etiā Dij apud.Virgi.Dijs aliter viſum eſt.Et diuiſim,Catullus,Non,ita me Dij ament,quicquam differre putaui.Sic dehinc,vt,Eurū ad ſe Zephyrúmque vocat,dehinc talia fatur.Sil.Dira dehinc in bella ruit.Sic deinde,vt, Incipe Damœta,tu deinde ſequere Menalca.Proinde,Virgil. Proinde tona eloquio.Deeſt, Lucanus, Non deeſt prolato ieiunus venditor auro.Ouid.Frigidior glacie ſemianimiſq; fui. Sic omnia quæ componit ſemis.Ijdem,Vergil.Ijdem venturos tollemus ad aſtra nepotes.Cicero de Synæreſi,Idem campus habet,inquit Ennius,& in templis iſdē,– probauit:at eiſdem erat verius: nec tamē eiſdem opimius:male ſonabat ijſdem.Impetratum eſt à cōſuetudine, vt peccare ſuauitatis cauſa liceret. Ex quo videas ſecundum antiquos, eiſdē ex arte,iiſdem ex ſuauitate poſſe dici. Nota Synæreſin propter carmen ſolum inuentam,nam extra carmen duæ vocales in vnam ſyllabā non contrahuntur,niſi per diphthongon.Ad hunc locū pertinet quod ſcribit Diomedes,veteres mijs ꝓ meis dixiſſe,vt ſit vocatiuus ſecundum regulam mi. Aduerte etiam dictiones per Synæreſin vel.

Craſin produci,vt,nil à nihil,mi à mihi,ni à niſi,cogo,à coago, Phæton à Phaëton, tibîcen à tibijcen. Nam detrimentum literæ, ſyllabæve productione compenſatur.

Scandere,ſi bene vis,tu noſce diæreſin aptè,

Ex vna per quam fit duplex ſyllaba ſemper:

Sic ſyluæ vates Lyricus triſſyllabon effert.

Diæreſis eſt, ſiue Dizeuſis, cùm in duas ſyllabas vna diducitur. Catul. Verboſa gaüdet Ven⁹ loquela, Phalæcium eſt, cuius ſecundus pes debet eſſe Dactylus. I,& u. prępoſitæ in eadem ſyllaba reliquis vocalibus vel etiam ſibi,conſonantes efficiuntur,nec vocalium vim retinẽt, ideò diphthongon non efficiunt.Interdum tamẽ per Diæreſin vocales efficiuntur, ſed licenter.Ergò colligitur i,& u,amittere vim natiuam,cũ fiunt conſonantes,& vtramq; facilè conuerti,retróq; referri, mutari vicibus, & in ſua iura recedere, vt, Et Troïa gaza per vndas, &, Troiæ qui primus ab oris.Sed de i,poſteà,hoc de u,habetote, vocalem aliùm ſonum ædere,alium cõſonam à ſe ſeorſam,alium ſibi iugatam.Diſcrimen excutiamus,vocalem ſuà figura declarat,nam,vt ait Capella lib.3.ore conſtricto labiíſq; prominulis exhibetur,cuius figura argumento eſt,nam inferiùs claudit,& ſuperiùs aperit. V conſonãs ſola leui diſcrimine tenuíq; diſtat ab f,diſtat tamen. V,autem ſibi prępoſita,digãma Aeolico proferetur,quod (vt ait Seruius)inuentum eſt vt ad-

hibitum dictionibus,impinguefcat ſonus.V,tamen nonnunquam ſic admiſcetur conſonantibus,vt propemodum euaneſcat,at non quibuſlibet,vnde Huttenus:

V,quandoq; ſono manca eſt,vímq; exuit omnẽ,
Ni liquidam dicas,quoniam reſolubilis extat.

Eraſm.Illud notiſſimum eſt,v,literam apud Latinos frequenter tranſire in naturam conſonantis,interdum elidi.Conſonans fit quoties præponitur vocali vel alteri vel ſibi in eadem ſyllaba, vt vanus,venor,vænum,vinum,voueo, vulnus, ſeruus.

Eliditur u,ſequens m,vel,n:vt in Enimuerò,& Inuidia.Docent hoc verſus Terentij,Sine inuidia laudem inuenias & amicos pares. Et, Enimuerò Daue,nihil loci eſt ſegnitiæ,neq; ſocordię: in quorũ priore niſi primo loco ſit Tribrachus, ſininui, non cõſtat Senarius Trimeter, ſic vt in ſecundo ſit Spondeus dialau , dia contractis in vnam ſyllabam:In poſteriore niſi primus locus habeat Anapæſtum non conſtat verſus tetrameter.Neutrum autem fieri poteſt, niſi illic elidas v,hîc, v, cum m, quæ inter vocales fermè ſolet elidi,præcedens vocalem.Admiſcetur autem v, his conſonantibus,q,c,g,ſ:vt,qui,cui,ęquor,ſanguis,coſueſcò, & ſuauis, ſi adſit Synæreſis,& faciat diſſyllabũ:nec tamẽ hîc prorſus euaneſcit. Indicauit Fabius in æquor, & æquum reddi ſonum,quem Græci nullo modo poſſint exprimere . Idem : Ex tribus vocalibus ſyllaba nequit fieri,ſi non aliquæ conſonantium officio fungãtur,vt in aquæ & in quælibet, in quib⁹ tres qui-

208

dem ſyllabam faciunt,ſed aliqua officio conſonantis fungitur,ſcilicet v.Nec audiēdi ſunt qui in his & id genus cæteris putant v,vim perdere literæ.Nam etſi v,ita celeriter profertur in his, vt vix ſentiri poſſit,non tamen omnino ſupprimitur, vt vult Eraſm. Aliquando locum habet Diæreſis,Virgil.Non lux,non cibus eſt ſuauis illi.Idē,Holus ſuaue,multiplex herbę genus.Stat. Imò agitè,& potiùs q̄ nox inopina ſuaſit.Hora. Cum mihi non tantùm furéſve feræve ſuētæ.

Nominibus Græcis non conſonat i,vel Hebræis,

Quapropter dices,Iacobus,Iambus,Iapyx.

Profer Iulus, Iaſpis, Ioannes,& Ieſſe,

Suauéq; ab indoctis laniatum nomen Ieſu.

Aduerſatur Deſpauterio hac in parte Iudæorum peruicacia,vt quę neget I,in principio nominum Hebraicorum eſſe vocalem. Non potesrunt inficiari duræ ceruicis homines eandem literam in Græcanicis vocibus eſſe vocalē: quod ſequentibus patet exemplis. Claud. Ne laceres verſus dux Iacobe,meos. Horat. Syllaba longa breui ſubiecta,vocatur Iambus. idem,Obſtrictis alijs præter Iapyga.Eſt Aſclepiad.carmen. Virgil.Iulius à magno demiſſum nomē Iulo. Mar. Et precium magnis fecit Iaſpidibus. Iuuencus, Sanctus Ioannes aquilę velatus amictu.Idē,Dixit Ioannes,cui talia reddit Ieſus. Quid igitur obſtabit,quo minùs ſit etiā vocalis in Hebraicis

formam Latinam præ ſe ferentibus: non tamen ignoro nomina aliter ab illis & ſcribi & proferri quàm à nobis. Nam, vt autor eſt Galatinus, illi Selomon, Zecharias, & Iehoſua ſcribunt, quod nos Salomon, Zacharias & Ioſue. Sed cũ poëtæ Latini atque ijdem Chriſtiani & D. Hieronymi teſtimonio commendati, ita enũciauerint, non verebimur imitari. Iuuencus, Aegyptum cũ matre ſimul tranſportat Ioſeph. Huic ſententiæ ſuffragatur Lod. Viues. Item Eraſm. de R.P. ſic ſcribit: Apud Græcos i, ſemper eſt vocalis, nec vnquam præcedit vocalem in eadem ſyllaba, vt, ἰατρὸς, ἴαμβος. vnde perperam quidam Iambus ſonant diſſyllabum, quum vox ἀμφίβραχυν reddat. Idem: Iulus diuiſai, profertur, non tamen Iulius, vt, ſignificetur effectum nomen Latinum, ſicut ſoboles eſt Latina. In Iudæa tamen, & Iudæus, i, eſt conſona, & in Iulus apud Horat. per Synæreſin, ibi, Iule cæratis ope Dedalæa, & in nomine Iazyges apud Ouid. Talis Synæreſis fit interdum in nomine Naias, & in alijs complusculis.

Verſificatoriæ Deſpauterij Liber ſecundus.

Quantitatis ſyllabicæ regulæ generales.

DVm poſtponuntur vocali conſona bina,
Aut duplex, lõga eſt poſitu. ꝙ ſi duo ſubſint
Finali, rarò poſitu producitur illa.
Cum muta liquidam ſcribens in ſyllaba eadem,
Ancipitem ponas vocalem, quæ breuis eſſet.
Hanc tamen in proſa ſemper breuiare iubemus.
Sunt l, & r, liquidæ: queis rarò iungimus n, m.

Literæ diuiduntur in vocales & conſonantes. Deinde conſonantes in ſemiuocales & mutas. Poſtremò ſemiuocales in liquidas & duplices duas: x, & z. Vocales dicuntur, vel quòd elegantiùs ſonẽt, vel quòd per ſe ſonent, vel quòd alijs, quę conſonantes vocãtur, vocem tribuant alioqui mutis, niſi ſi quid ædant ſtrepitus aut ſtridoris, vnde & ſemiuocalibus nomen. Dicuntur autem liquidæ, quia fluunt & quaſi intereunt mollori quodam ſono poſt mutas poſitæ in eadem ſyllaba, & propterea Græci ὑγρὰ etiam appellãt, noſtri verò vdas. Marius Victorinus: Liquẽ•

tes autem literæ ſunt quatuor:l,m,n,r: Liquentes verò ideo dicuntur, quòd fluant & quaſi intereant, tum cum conſequuntur aliquam breuē ſyllabam cum quauis alia conſonante. Sunt autem duplicis potentiæ : Nam longam ſyllabam poſitione facere poſſunt, ſi ita poëta voluerit, & breuem non producunt. Quod dico huiuſmodi eſt exemplum, vt hic Lucretij verſus: Nam fuerant iuuenes ſubito ex infantibus paruis. Sic habetur, quaſi dixerit: ex infantibu paruis, ſubtracta s litera: hîc enim s litera interit. Ennius quoque ait: Vita illa dignus, locóque. quaſi dixerit: Vita illa dignu, locóq;. Similiter Lucilius: Tum lateralis dolor certiſſimus nuncius mortis. Pro, Tum laterali dolor certiſſimu nunciu mortis. Sic habetur quaſi ſubtractis s literis: quia liquentius antiqui & ipſa quaſi pro liquenti vtebantur, inerudita adhuc nouitate, quod poſteriores poëtæ non ferunt. Non quòd iſta definitio recta non eſſet, ſed quòd verſus ſuos liquidiùs diſcurrere nullis ſalebris voluerunt. Liquentes autem cognoſcere in illo Vergilij verſu poſſumus, Aptare flagello. Quaſi ſubtracta l litera fagello dixerit. Sic & in illo:

Phœbe graues Troiæ ſemper miſerate labores.

Quaſi ſubtracta s litera graue dixerit nō graues. Mihi autem de his magis videtur illud, quòd liquentes literæ, de quibus diximus, tunc detrahantur, cum breuem ſyllabam duæ conſonantes, quarum altera liquens erit ita ſequuntur, vt in duas ſyllabas ſe diuidant. Quod dico huiuſmodi eſt exemplum: vt infantibus paruis: s & p

literæ in duas ſe diuiſerunt: nam s ad bus ſyllabam pertinet, p ad paruis. Quoties ergo ſe ita diuidunt,tunc liquentes erũt.Alioqui cum duæ conſonantes ita aliquam breuem ſyllabam conſequuntur vt hæ ipſæ cõſonantes alterius ſyllabæ ſint,nec ſe diuidant,tũc illa ſyllaba,vt poëtæ voluerint,lõga aut breuis erit:hoc exẽplo:Conſpiciunt Atridas Priamúmq;.A litera poſitione longa eſt,eo ꝙ eã excipiunt duæ conſonantes,t, & r. Sed quoniam hæ duæ ad alteram ſyllabam non pertinent, non ſemper poſitione longam ſyllabã faciũt quam excipiunt, vt eſt:geminóſq; Atridas.Hic a breuis eſt,quoniã conſonãtes ambas ſibi ſyllaba poſterior vendicat.Aequè vt poëtæ voluntas eſt, proinde auxiliantur,aut cedũt, vt illi Vergilij verſus quos præpoſuimus, tales ſyllabas habent conſonantiũ coitu,non liquentium fluxu. Dicuntur duplices, quæ ponuntur pro duabus literis:x enim ponitur pro c, & ſ, & g,& ſ:z verò pro duplici ſſ.nec placet Guaguino z,anſerino ſibilo pronũciari,cum ſit,vt ait,craſſè & robuſtè proferenda.Quotieſcunque igitur vocalem duæ conſonantes ſequentur, vel vna duplex,vt,x,z,& i,inter duas vocales, eam poſitione producunt,modò id fiat in eadem dictione,vel certè conſonans vna ſit in fine præcedentis dictionis,& altera in principio ſequentis.Alioqui dicuntur natura longæ.Eraſm.Grammatici diſtinguũt vocalem natura lõgam & poſitu longam:At apud Latinos quum omnes ſint ancipites,eóque dicantur natura longę,quę poſitu longę non ſunt,eſt ratio qua per ſonũ poſſumus

dignoſcere,ſcilicet vulgata Gallorũ pronunciatione, qui omnes ferè ſonant vt natura longas, duas conſonantes, aut vnam geminã voce ſeparãtes à vocali pręcedẽti.In vidiſti Galli penultimam finiunt in i,& vltimam incipiunt à ſt.Rex, ſex,lex,& pax & natura & poſitu lõgas Galli rectè ſonant:at fax tantũ poſitu longã,non item. Sed pręter diſcrimen ſoni poſitúne an natura ſit vocalis longa ex cognatis dictionibus elucebit, in quibus abeſt altera conſonantium , velut in amaſti,a, natura longum eſſe declarat, quòd & in amare ſit longum,& in amati, quum abſunt conſõnãtes.Idem apparet in regis, legis, fecis,& pacis.Cõtrà in face,in noceo,vnde noxa,in Arabe & trabe declarat vocalis recti eſſe poſitu,non natura lõga. Qui duas conſõnãtes ſeparat à pręcedenti vocali,ſi productè pronunciat,declarat natura longam eſſe: ſin alteram partitur priori vocàli,alteram poſteriori, ſignificat poſitu longam. Sic Horat.Donatura cygni ſi libeat ſonũ. &, Forma captiuæ dominum Tecmeſſæ, cmes ſeparandum eſt à te. Quanquam eſt nonnullis ſua pronunciandi quædam ratio,quæ iubet conſonantes poſterioribus vocalibus annectere,ſeu diducere, velut in aruſpex compoſito ex ara & ſpecio, ſiue ſpecto, ſp, rectius annectitur vocali ſequenti.Contrà eſt in abſtemio,quoniam dictũ eſt ab abſtinentia temeti,ſ, meliùs annectitur primæ ſyllabæ. pro natura longis etiam habemus,in quibus nec ipſa vocalis,nec diphthõgus diſſoluit ambiguitatem,nec cognatio dictionũ, quemadmodum in triſtis. Probus in inſtitutis

artium: Sæpe inuenitur poſitio in ſyllabis natura longis, ſed ſi naturaliter producũtur, poſitionem ſuperfluam habebũt: illic enim eſt quærenda poſitio, vbi lõgitudo naturæ defecerit. I, quãdo poſita eſt inter vocales, fit dupla, & craſſas extendit murmure voces, Caius vt eſt. Quam Diomedes lib. 2. ſic poſitam ait geminari. Habet omnis ſyllaba longa ſonum vegetiorem breui. Nam producta vocalis, quemadmodum & diphthongus, gemina quodãmodo vocalis eſt. Priſc. lib. 1. Antiqui, inquit, ſolebãt geminare eandem i, literam, in medio dictionis inter duas vocales poſitã, vt, Maiius, peiius, eiius. Quint. lib. 1. Sciat etiam, inquit, Ciceroni placuiſſe aiio, Maiiámq; geminato i, ſcribere. V, etiam in medio dictionis cõſonans inter duas vocales habet vim duplicis conſonantis, ſed in præteritis verborum tãtùm id iuris retinet: i, autem vbique. Priſc. lib. 1. Eſt quando Aeoles inueniuntur pro duplici conſonante digamma poſuiſſe: quod videmur ſequi in præterito perfecto & pluſquam perfecto, tertiæ & quartæ coniugationis: in quibus i, ante v, conſonantem poſita producitur, eadémque ſubtracta corripitur: vt, cupiui, cupij, cupiueram, cupieram: audiui, audij, audiueram, audieram. hactenus ille. Si vocalis ſit vltima dictionis litera, & in principio alterius dictionis ponantur duæ cõſonantes, rariſſimè producetur poſitione. Terentianus affirmat non poſſe mutam cum liquida producere antecedentis dictionis breuem: s, verò literam poſſe c, p, t, ſcilicet mutis præpoſitã, quod oſtendit his verſibus, Vnde ſcire potes per-

cuſſa ſpumat arena. Et, Quiſque ſcire cupit, aut quiſque ſcire laborat. Et hîc, Ante Steſichorum vatem natura creauit. Vbi vnde, cuſſa, & quiſq; & ante Trochæi adepti, quod deerat, tempus, poſitione ſemiuocalis, & c, & t, & p, mutarum ſequente vocali longa, tranſiere in Spondeos, vt hîc, Sil. Immane ſtridens agitur, crebróque coacta. Iuuen. Occulta ſpolia & plures de pace triũphos. Idem poſitum etiam fecit in vocali finali ſequente muta g, Curabitis vt ſit Vindicta grauior quàm iniuria. Interdum igitur ſ, litera coniuncta mutis c, p, t, iuuat præcedentem breuem, interdum non iuuat. Sed quum non iuuat fit quia ſ, litera vim ſuam plerunque amittere inuenitur apud vetuſtiſſimos, tam ſequente vocali, quàm cõſonante. Lucil. Campanus ſonipes ſucceſſor nullus ſequetur, pro nullu ſe, Dactylus. De qua ſuprà abundè ſcripſimus. Priſcianus lib. 6. tradit ſ, in aſpirationem recidere, atq; ita vim conſonantis perdere. nec mirum ſ, ſic interdum vim ſuam amittere, cum aſpirationem etiam loco ipſius in quibuſdam dictionibus Bœotes poſuerint, Muha pro Muſa dicentes, vt Priſcianus refert, & ipſa viciſſim pro aſpiratione ſæpe inuenitur poſita, vt ſex, ἕξ: ἥμισυ, ſemis. Idem quoque patitur ſ, m vdæ præpoſita in principio dictionis, nihil enim iuuat antecedentẽ breuem. Luc. Terga ſedẽt crebro maculis diſtĩcta Smaragdo: ſtincta ſma, Dactylus. Terẽtianus tamen ſ, ſemiuocalem mutæ præpoſitam non iuuare inquit antecedentem breuem, cum vocalis (cui vnà cũ muta adiungitur) breuis fuerit: contrà, cum lon

ga vel natura vel poſitu fuerit, iuuare, vnde ſi Trochæus præcedat, Spōdeum fieri dicit, tertia vocali quæ ſequitur, producta: non fieri verò ſi breuis illa fuerit, ſed tranſire in Dactylū. Si quis igitur dixerit, Smyrna, Strepſa, Spada, Scolus, Struthea, Scotuſſa. Smyrna, erit Spondeus, nam producitur na, quia tertia, quæ ſequitur, vocalis, longa eſt. Strepſa ſpa, Dactylus. pſa enim correpta remanet, quia tertia, quæ ſequitur, vocalis, corripitur. Da ſco, Spōdeus, da enim producitur, quia ſco, in Scolus longa eſt. thea ſco, Dactylus, nam a corripitur, quia ſco in Scotuſſa, breuis eſt. ſunt autem hæc vrbium colorúmve nomina apud Stephanum. Itaque apud Virgil. in illo, Ponite ſpes ſibi quiſq; ſuas, ponite ſpes, autore Terentiano, eſt Creticus, quia ſequitur ſ, cum p, muta & vocali longa, in dictione ſpes. Idque ille in Hexametro vitium dicit, non quòd id non fiat aliquando, ſed quòd rarò. de arte enim ille ſcribit, non de licentia. Sic vſus eſt Horat. Linquimus inſani ridentes præmia ſcribæ. Ouid. Spes bona dat vires, animum quoq; ſpes bona firmat, Viuere ſpe vidi, &c. Ergo cum correpta vocalis excipitur à duabus cōſonantibus: quarum prior ſit muta, ſequēs verò liquida, poteſt produci, atq; id in eadem dictione. Terentianus:

Vda igitur nunquam præbebit ſubdita tempus,
Præbebit verbo deprenſa, aut nomine eodem:
Replet cum dico, ſubiecta eſt vuida mutæ.
Atlas vt Græca, ſic profero voce Latina. Idem:
Si mediam vocalis habet, quam conſona & vda
Excipiunt, nequeunt geminæ vexare priorem.

Vnde tremor terris,aut hoc,percuſſa tridenti,
Dactylus efficitur,nam longa eſt reddita prima,
Et mediam nil vda iuuat,quæ ſubdita currit,
Sic manet vnde breuis,ſic & percuſſa tridenti.

Apud Græcos non ſolum muta cum liquida facit vocalem præcedentem indifferentem, ſed & liquida ſola,vt,melos,de quo lege Aldum lib. 4.in titulo de primis ſyllabis.M & n,inuenimus poſt mutas nonnunquam liqueſcere,& caſſas fieri.Mart.Delectat Mariũ ſi pernicioſus Ichneumon.Horat.Donatura cygni ſi libeat ſonũ. Lucret.Nil tamen eſſe ſigni mixtas potuiſſe creari. Ouid.Diſſenſere deæ, quarũ Polymneia cœpit. Idem,Debuit illius miſereri,& ignoſcere nobis. Hora.Forma captiuæ dominum Tecmeſſæ.Sapphicum eſt. Quod factum eſt ad imitationem Græcorum,apud quos μ,& ρ,frequẽter poſt mutas effluunt.Duæ mutæ inueniuntur aliquando non producere antecedẽtem breuem,vt m & n, liquidæ. Mart. Sardonychas, Smaragdos, Adamantes, Iaſpidas vno Portat in articulo. & id quoque ad Græcorum imitationem. Quemadmodum ſ, quoq; litera, liqueſcit apud Ennium, Subulo finitimas propter aſtabat aquas. Per liqueſcẽtiam breuis poteſt produci,ſed longa nequit breuiari. Nos quia locuti ſumus de natura & poſitione longis,placet differẽtiam quandam longarum inter longas,& breuium inter ſe proponere. Quæ talis eſt, Proportio breuis ad longam eſt dupla. Longa à breui diſtinguenda eſt ſenſibili mora.Fieri poteſt,vt vna longa reſpondeat duabus breuibus,aut ampliùs:Rurſus vt re-

ſpondeat vni breui & dimidio. Iam ſunt dictiones duriores,quę plus ſpatij poſtulãt,quàm alię, præſertim monoſyllabæ. Diutiùs enim ſonat, ſtant triſtes,quàm ſtant acies,non ſolùm ob conſonantes in eandem ſyllabam coëuntes, verum etiam ob ſequentem ſyllabam,qua excipit difficiliorem.Item plus morę poſtulat prima in ſtructus,quàm prima in légero.Item in quibuſdam ſyllabis ſufficit vnicum tempus, in quibuſdam vnum ſemis,& in quibuſdam duo ſemis, in quibuſdam,tria.Si enim vocalis natura breuis eſt,& ſequitur vnica,eáque ſimplex, vnicum tempus obtinebit,vt caput,λόγος. Rurſus vbi vocalem natura breuem muta cum liquida ſequens, aut alioqui geminata reddit ancipitem,tempus erit vnũ ſemis,vt lachryma,recludo, cygnus, Atlas. Quod à quibuſdam etiam obſeruatur in diuerſis dictionibus,vt,Tribuláque,traheæq;. ſed potiſſimùm ſi tres ſint conſonantes,aut prior ſit S, habeátve incluſam,vt præmia ſcribæ,a,produci poterat,nec aliter produci volũt quidam quàm eliſione S,& littora Xerxes, quia ſequitur duplex.Iam quæ natura vel poſitu longæ ſunt, harum duo ſunt tempora,vt dos,mors.Rurſum ſi vocali natura longæ adhæreat vnica cõſonans in eadem ſyllaba, in his tribuunt moræ tempora duo ſemis, hoc eſt, duo breuia, & ſemibreue, vt Sol.Porrò tria tempora volũt eſſe,quum vocalem natura longam duæ cõſonantes ſequuntur,aut vna duplex,vt mons,rex. Itaque Fabius teſtatur lib. 9. omnes breues ac productas eſſe pares,ſed eſſe breues, breuiores, ac breuiſſimas:

contrà longas,longiores,ac longiſſimas. Exem-pli gratia, producit verſiculum Maronis ex Tityro, Agreſtem tenui muſam meditaris auena. Quanquam hîc noſtri codices habent Sylueſtrē pro Agreſtē,verùm id nihil ad rem: in agreſtem duæ primæ ſyllabæ natura breues ſunt, & tamē gre ſecunda, facit priorem longam. Dat igitur, inquit,aliquid ex ſuo tempore. Quomodo? ni habet plus q̄ quę breuiſſima,qualis ipſa eſſet detractis conſonantibus,nunc vnum tempus accommodat priori,& vnum accipit à ſequēti,ita duæ natura breues,poſitione ſunt temporū quatuor. Cōcurſus igitur mutæ & liquidæ in gre, tardiorem redderet ſyllabæ pronunciationem,etiamſi conſonans nulla ſequeretur,nunc quia ſequitur ſt,duplicatur tarditas vel triplicatur potiùs, cuius portionem tranſfert in primam natura breuē:tametſi Priſcianus non tribueret primæ duo tempora,ſed tempus vnum ſemis, nec ſecundæ tribueret amplius,niſi ob vocalem vtrinque cinctam gemina conſonante. Vocem,quam maximam vocant,diuidūt in longam. Rurſus longas in breues, breues in ſemibreues, ſemibreues in minimas, & has inſuper in pluſquam minimas. Muſici ſecāt in ſemibreuem,atque ita in caput, erit breuis, in lachryma breuis cum ſemibreui: in da,& fle, duæ breues: in Sol duæ breues & ſemibreuis:in ſtirps & rex tres breues. Huc pertinet,quòd licet in enimuero,accentus ſit in nim, non ideò uerò,corripi debet. Idem fit quoties ex præpoſitione & aduerbio cōflatur dictio,proinde,deinde, Similiter in cōiunctionibus aliiſque

quibuſdam vocibus non ſtatim corripitur pe- nultima, quòd accentus ſit in antepenultima. Nota, quod ſupra dixi, vocalem productam per eandem geminatam fuiſſe à veteribus Latinis notatam. Alio accentu fax ſignabatur, alio rex, quia illud breue natura, hoc longum.

Diphthongum produc in Græcis atque Latinis.
In Græcis ſemper: verùm ſubeunte Latina
Vocali, breuio: veluti præit atque præuſtus.

Quid ſit Diphthongus, iam didicere grammatiſtarum nepotuli, & diphthongon produci, niſi ſequatur vocalis: tunc enim plerunque breuiatur. Quod certè quidem Græcanica fit imitatione. Nam Græci in media quoque dictione tam ſimplici quàm compoſita vocales longas & diphthongos ſequēte vocali modò corripiunt, modò longas ſeruant. Sed quia Diphthongorũ mentio habetur, nonnihil ex Politiani Centuriarum cap. xliij. adijci pręſens negotium deſyderat. Diphthongi, inquit ille, non plures quatuor apud Latinos perhibentur, cum ſeptem nos eas ſaltem inueniamus in antiquis vel marmoribus, vel numiſmatis. Nam præter illas vulgatiſſimas, quæ ſunt æ, œ, au, & eu, eſt adeò inuenire etiam ai, & ei, & item ou: pro illis i, u, in veteribus monimentis. Et ai, quidem pro æ nonnulli cum litera i, non e, Græcorum more ſemper efferebant, vt Quint. oſtendit. Quidam ſingulariter tantũ, cum in genitiuum, vel datiuum caſum incidiſſent. Vnde etiã Aimilius, pro eo quod ſit Aemi-

lius, alicubi Romæ in antiquis ſpectationibus adnotauimus. Ex quo etiam Diæreſim videmus factam in illis, quæ apud Virgil. ſunt, aulai, pictai. Porrò autem diphthongus ei frequentiùs inuenitur, penéq; etiam in confeſſo eſt, quod & numiſmata pleraque, & marmora vetuſtiſſima declarant, & argumenta ipſa Plautinarum Comœdiarũ: quæ Captiui, quæve item Menæchmi inſcribuntur. Si verſuum ſingulorum primas ſubinde literas cõnectas, Capteiuei & Menæchmei reſultabit, vt ſit vbique ei diphthongus. Sic Valer. Catullus ſcripſit, Vellera virgati cuſtodeibāt calathiſci, per ei diphthõgum, pro cuſtodiebant. Prætereà fouri non furi legimus in nomiſmate alio, vt prima ſyllaba diphthongo producatur. Qualis etiam apud Græcos eſt. Quid autem de eo dicam, quod & Quint. indicat, & nos aliquando obſeruauimus: vt vocalem producendam geminarēt, cum in aureo nomiſmatio fœlix per e, geminum: in æreo autem Galbę pincipis viirtus per i, duplex reperiatur. Iam illa ἄκυρος: nónne etiam apud nos in Græcis ſaltem nominibus, vt in Harpyia, Orithyia, Thyiadéq; reperitur? vt non iam ſeptem diphthongos: ſed decem quoque habuiſſe Maiores videri queant. Adnotauit etiam Aldus heu, & hei diphthõgos eſſe, vt, Eheu quàm pingui macer eſt, &c. Et, Hei mihi qualis erat. Vbi quia, inquit, cum pronunciamus hei, vtraque vocalis ſimul ſonat, admonemur & Latinè & Græcè diphthongos propè omnes perperã ætate noſtra pronũciari. Eraſm. Aliquot dicuntur propriè diphthõgi, quòd duæ

vocales,vt ſcribuntur,ita ſonantur, quod idem in ijs non fit,quæ dicuntur abuſiuè diphthongi. Idem:Quorſum appellãtur diphthõgi propriæ, niſi eadem ſyllaba geminæ vocalis ſonum ædat? Atque ob id producitur & diphthongus omnis, vt vtraque poſſit audiri. Idem poſt longam argumentationem concludens ait: Ex his autem quæ retulimus ſatis eſt intelligi,& diphthongos poſſe ſonari,& olim ſonari ſolitas. Nec alia res abiecit eas,quàm loquendi deliciç.Nam mulierculæ quondam elegans habebãt, ſemicluſo ore, víxque motis labijs ſonare verba,ſic vt vix audiretur exitus.Diphthongi verò ferè torquent os, multúmque reſonant,quod nunc habetur indecorum,& vt ruſticanum ridetur: inde primùm apparet exortas Diphthõgos improprиè dictas: deinde paulatim idẽ in alijs nonnullis auſæ ſunt illiteratorum deliciæ. Cæterùm Diphthongus ſæpe diuiditur manente priore longa.Virg. Aulai in medio.Sic,Lunai portum. Ouid.Ah quoties dices quàm pauper Achaïa noſtra eſt! ¶Aduerte poſſeſſiuum in æus à proprio, aut rei animalis nomine veniens æ Diphthongo ſcribendum eſſe, vt, Hebræus, Phariſæus, Gigantæus. Secùs eſt de alijs, vt ferreus, roſaceus. Sed iam diſcutiamus an verũ ſit quod ſcriptum reliquit Alexander Gallus, quandoquidem ab inſtituto non eſt valdè alienum.

Verſificatores h,pro nulla reputabunt.

Arbitratus eſt Theopagita h,non eſſe literam,

nec abs re.nam Diomedes lib.2.H,inquit,interdũ conſonãs,interdũ aſpirationis creditur nota. Probus,H,ſcire debemus conſonantis loco poni non poſſe,quia nota eſt aſpirationis,nõ ſolida litera,quam Græci nõ tam figura aliqua literæ,q̃ titulo pronunciationis oſtendunt. Terentianus,

Nulli dubium eſt faucibus emicet quòd ipſis
H,litera,ſiue eſt nota quæ ſpiret anhelum:
Quin hanc etiam Grammatici volunt vacare:
Quia non adicit litterulis nouum ſonorem,
Sed Græcula quædam ſcholicæ nitela vocis:
Vocalibus aptè ſed & antepoſta cunctis,
Haſtas,hederas,cũ loquor, Hiſter,hoſpes,huius.
Solum patitur ante quatuor conſonantes,
Græcis quoties nominibus Latina forma eſt,
Si qñ choros, Phyllida, Rhãnes, Thyima dico.

Priſcianus, H autem aſpirationis eſt nota, & nihil aliud habet literæ niſi figuram, & quod in verſu ſcribitur inter alias literas,quòd ſi ſufficeret vt elementum putaretur, nihilominus quorundam etiam numerorum figuræ,quia in verſu inter alias literas ſcribuntur,quanuis eis diſſimiles ſint,elemẽta ſunt habenda. Sed minimè hoc eſt adhibendum,nec aliud aliquid ex accidentibus proprietatem oſtendit vniuſcuiuſq; elementi,quo modo poteſtas:qua caret aſpiratio. Neq; enim vocalis nec conſonans eſſe poteſt. Vocalis non eſt h,quia à ſe vocem nõ facit:nec ſemiuocalis,cum nulla ſyllaba Latina vel Grȩca per integras dictiones in eam deſinat:nec muta,cum in eadem ſyllaba cum duabus mutis bis ponatur,vt,Phthius. nulla enim ſyllaba plus duabus

mutis iuxta ſe poſitis poteſt habere:nec plus tribus conſonantibus continuare. Autoritas quoq; tam Varronis quàm Macri, teſte Cenſorino, nec k, nec q, nec h, in numero adhibet literarũ. Gell. libr. 2. H, literam, ſiue illam ſpiritum dici magis quàm literam oportet, inſerebant eam veteres noſtri pleriſque vocibus verborum firmandis roborandíſque: vt ſonus earum eſſet viridior, vegetiórque. In his verbis ſepulchrum, inchoare, helluari, literæ ſeu ſpiritus iſtius nulla ratio viſa eſt, niſi vt firmitas & vigor vocis, quaſi quibuſdam neruis additis intenderetur. Veteres tamen, vt ait Cicero ad Brutum, nuſquam niſi in vocali aſpiratione vtebantur. Sic ille: Quin ego ipſe cũ ſcirem ita maiores locutos eſſe, vt nuſquam niſi in vocali aſpiratione vterentur, loquebar ſic, vt pulcros, & Cetegos, triumpos, Cartaginem dicerem: aliquando ídque ſerò, cõuitio aurium, cum mihi extorta veritas eſſet, vſum loquẽdi populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui. Orciuios tamen, & Matones, Otones, Cæpiones, ſepulcra, coronas, lacrymas dicimus, quia per aurium iudicium ſemper licet. Purrum ſemper Ennius, nunquã Pyrrhũ. Vi patefecerunt Fruges, non Phryges, ipſius antiqui declarant libri: nec enim Gręcam literam adhibebant, nunc autẽ etiam duas: & cum Phrygum, & cum Phrygibus dicendum eſſet, abſurdum erat aut tãtum barbaris caſibus Græcam literam adhibere, aut recto caſu ſolum Græcè loqui: tamen & Phryges & Pyrrhum aurium cauſa dicimus. Ciceroni videtur placuiſſe aſpirationis vſus, & aſpirationem voluptati au-

rium morigeratam eſſe. Quintiliano idem placuiſſe videtur lib. 8. vbi citra mentionem linguę Græcæ, ſpiritum in ſyllabis commendauit, idq; hoc magis, quo maior eſſet. Videtur Aldus in ſeptimo modo communium ſyllabarũ inficiari h, eſſe literam. Septimus modus eſt, inquit, cùm correpta vocalis in vnam deſinit conſonantem, ſequente aſpiratione, quæ tanquam litera poſitionem facere poſſe videtur nonnullis, vt in illo Virg. Terga fatigamus haſta, vt mus ha, ſit Spõdeus, & mus producatur propter aſpirationem, quæ ſequitur, cùm potiùs id cæſuræ ſemiquinariæ dãdum ſit. Item apud eundem, Graius homo infectos linquens profugus Hymenæos, &, Ille latus niueum molli fultus hyacintho, vt gus, & tus producantur ob ſequentem aſpirationem. Cùm potiùs producantur, quoniam u, vocalis in conſonantẽ deſinit in fine dictionis, & eſt principium pedis in vtroque Dactylo per quartum modum. Hęc Aldus. Diuerſæ omnino opinionis fuit Pierius Valerius, qui literam eſſe contendit, his verbis: Verùm eſt Nigidium Figulum tradidiſſe in commentarijs h, non eſſe literam, ſed aſpirationis notam, & id à Victorino obſeruatum. Sed eam Græci literarũ honore decorant, & Latini octauum illi locum aſcribunt, & in inſcriptionibus, in quibus ſingulis tantùm literis vti ſolent: h, vtuntur ſępiſſimè, perinde ac etiam alijs literis: h. h. hac hora. Nónne etiam literati Mihi & Nihil pronunciant, ac ſi præter h, c etiã inſertum eſſet, quod ipſius literæ vim & ſonum proprium oſtendit? Longus etiam ait h, ante &

21R

poſt vocalem neſcio quid propriũ ſonare. Quid vero illud quòd literæ tot in h, abeunt, & ipſum h, modò in hanc, modò in illam literam commutatur? vt quum ex veho vexi, traho traxi facimus. Nunc in v, vt, Heſper, Veſper. Nunc in f, Hanula, fanula. Et niſi litera eſſet, non illi certè tantũ iuris concederetur, vt modò in hanc, modò in illam literam abiret. Meritóque Valerius Probus in arte, h, literam inter nouem mutas enumerat: quam præter peculiarem figuram, & nomẽ quod his literis expreſſit h, ſonum etiam retinere poteſtatis ſuæ certũ aſſerit, & ideò qui aliter ſentiant non rectè exiſtimaſſe notandos ait. Neque tamen negat interdum h, pro aſpirationis nota poni poſſe, præſertim cũ iuncta cũ alijs mutis vocali concurrerit. vbi h, non aliter euaneſcit, ac v, vocalis in locutionibus, lingua, queror & ſimilibus: aut ſ, in eo loco, Ponite ſpes ſibi quiſque ſuas, & alijs eiuſmodi. Conſentiunt etiam Grammatici Virg. literæ vim, & poteſtatem, naturámq; in h, eſſe tunc oſtendere voluiſſe, cũ ſcripſit, Stant & Iuniperi, & Caſtaneæ hirſutæ. Illi quoque qui ius literæ magno conatu adimere h, cõtendunt, eam aliquid ſapere quod ſit literæ, non inficiantur. Valerij ſententiæ cõueniunt verba Eraſmi, quæ ſunt huiuſmodi: H, regnat in medijs literis, præpoſita vocalibus lenius ſonans: rariùs poſtponitur, niſi in aliquot barbaris & interiectionibus, veluti in ah, vah. Cauillantur Grammatici per Apocopen fieri, quum integræ voces fuerint, aha, ohe, prohe. Cõſonantibus poſtpoſita vehementiùs ſonat. Poſt-

ponitur autem c,t,p.ſemper autem r,apud Græcos,ſi conſonans hæc ſit vocis initium. Rurſùs autem in medio geminatis ῥῥ, additur poſteriori:vt,in Chorus Thymũ,Phyllis,Rhetor,Catarrhus,Pyrrhus.Nec rarò medijs vocalibus interſeritur,quò ſonus ſit vegetior:: quod in nihil,& mihi,factitatum.Gellius citat peruetuſtos codices, quos exiſtimabãt Maronis αὐτογράφους,in quibus ait ſe vidiſſe verſum hunc ex ſecũdo Aeneidos lib.Exultat telis & luce coruſcus aẽna,ita fuiſſe ſcriptum vt ſupernè inter a & e, h litera fuerit annotata a^h^ena . Similiter in illo verſu, Aut folijs vndam tepidi deſpumat a^h^eni. Adeò verò non eſt ſuperuacanea,vt Aeolum exemplo Latini quoq; huius vice ſubijciant f,vt pro hordeo,fordeũ.Latini in Græcis vſurpãdis nõ rarò vertũt in ſ,vt ἑπτά,ſeptẽ:ἕξ,ſex.hacten⁹ Eraſm.

Vocalis breuis ante aliã manet vſq; Latinis.

Ni capit r,fio produc:& nomina quintæ

E,ſernent longum,ſi præſit i,ceu ſpeciei.

Anceps ius,erit patrio:dic ſemper alius.

Alterius breuio tantùm.Commune ſit ohe.

Caius & Cai produc:conformia iunge.

Regula Græcorum multa eſt:quam proſa recludet.

Vocalis ante alteram vocalem in Latinis dictionibus ſemper ferè corripitur.In Græcis verò nominibus ſæpe inuenitur producta , quod

abunde docet proſa Deſpauteriana : ab illo ſumito. Priſcianus tamē refert antiquiſſimos produxiſſe etiam penultimam pręteritorū in ūi ſyllabas, quæ à pręſenti in ūo ſyllabas deſinēte proficiſcuntur, vt, eruo, erui: annuo, annui. Ennius, Annuit ſeſe mecum decernere ferro. melior eſt correptio. Fio licet producatur ſine r, tamen infio, & ſuffio corripiuntur, quia à fio valdè diſſidēt. Iūs in genitiuo eſt anceps niſi in alius, quod nomē in recto breue eſt, vt, Diuitias alius fuluo ſibi cōgerat auro. in genitiuo eſt longum.

¶Alius genitiuus duo in vnum longum contraxit : deberet enim dici alijus penultima correpta, cum dicatur alîus penultima lōga. Alterius frequentius breuiatur. Lucan. Harpen alterius monſtri iam cæde rubentem.

¶Alterius genitiuus cum duplex habeat excrementum in ſyllabis non creſcit in temporibus, quia penultimā corripit, ſicut cætera quandoq;. Terentianus ſæpe produxit, vt, hic,

Nomine nūc ꝓprio, nūc debita tēpora reddēs,
Sub alterius conſonat vocabulo.

Secundū carmē eſt Trimetrū, cuius ſecūdus pes eſt Iambus, & hic etiam eſt Senarium,

Nec alterius indigens opis veni.

Et in illo Trochaico,

Sexcuplo vel vna vincet alterius ſingulum.

Vbi rius in ſexta ſede Iambus eſſe nō poteſt, nā Trochaicum metrum non recipit iambū. ſcanditur autem ſic, teſte Priſciano, vt primus pes, ſecūdus, quartus, quintus & ſeptimus Trochęus ſit, tertius & ſextus Spondeus, lum ſyllaba. rius

ergò pes ſextus Spondeus eſt, qui duas ſyllabas habet productas. Præthereà alterius, producere hîc penultimam, ſic fit manifeſtius, ſi ex eo ipſo verſu amoueas Creticum, id eſt, ſeſcuplo, & facias Iambicum, vt Terentianus præcipit. Remanebit enim : Vel vna vincet alterîus ſingulum, vbi ſi alterius, correpta penultima dixeris, teri eſſet Pyrrhichius. Iûs genitiuus penultima producta ſemper pronunciari debet in proſa oratione, præter alterius. Seruius ſuper illo Virgil. Vnius ob noxam & furias Aiacis &c. In illis ſermonibus, inquit, vnius, illius, ipſius naturaliter media producitur ſyllaba, ſed quando opus eſt, corripitur hac excuſatione, quòd quoties vocalem longam vocalis ſequitur, ei vires detrahit, vt eſt, Inſulæ Ionio in magno, &, ſub Ilio alto, & ob hoc mutat accẽtum: in Latino enim ſermone, cum penultima corripitur, antepenultima habet accẽtum, vt hoc loco: Vnius ob noxam. & contrà: Nauibus infandũ amiſſis, vnîus ob iram Prodimur. Aulai, terrai, pictai, & id genus genitiui penultimam producunt. Poſſeſſiua in eïus, eïa, eïum producũtur in antepenultima, vt, Ecce trahebatur paſſis Priameia virgo, ſic Aeneia nutrix, Rhodopeiæ arces, Sic Pompei, & Vultei vocatiui, quando Diæreſin admittunt. Chorea & platea communiter efferuntur. Huius loci eſt quod tradidit Neſtor, inquiens, Ei datiuus ab is, ea, id, teſte Priſciano, monoſyllaba dictio eſt, ſicut cui. Quod tamen, vt ait, differentiæ cauſa fit, ne ſcilicet interiectio putetur. Duarum quandoq; per Diæreſin ſyllabarum compe

ritur,& tunc e,ſyllaba corripitur,vt eſt apud Iuuenal.Saty.5.Ire viam pergant,& eidem incumbere ſectæ. ſed apud Lucret. in pleriſq; locis e, ſyllaba producta legitur,vt eiuſdem 6.lib.Scilicet & fluuius qui viſus maxim⁹ ei.Ibid.Fit quoque vti pluuiæ forſan magis ad caput ei. Niſi fortè velimus dicere Lucretium ij duplicaſſe,antiquorum more,qui eiius,eij, cũ gemino ij,ſcribebant.Quæ ſanè orthographia vſque ad Ciceronis tempora,in quibuſdam dictionibus perdurauit,ita vt referat Quint.Tullio placuiſſe,aiis, aiit, cum geminato ij, ſcribere: quod exoleuit, cum ais,& ait primam corripiant.

Deriuata patris ſeruabit dictio normam,

Conſona ſi patris maneat:docet iſtud aratrum.

Multa tamen tolles pòſt declarata,vel antè.

Marius Victorinus:Neceſſe eſt,vt qualis eſt prima ſyllaba in aliquo nomine prouinciali,eadem ſit natura ipſa prouincia, vt, Afer prima longa eſt, in Africa enim eadẽ natura eſt prima ſyllaba.¶Tanta eſt ſyllaba in deriuato,quãta in primitiuo.Diſcant pueri quæ à præſenti tempore, item quæ à præterito formentur.Et quæ à ſupino formentur participia,item quæ verbalia ſubſtantiua,& adiectiua: vt quæ terminantur in bilis,bundus,bulum,culum,& reliqua.Id enim plurimum momenti habet.Excipiuntur ab hac regula deducta à longis, breuia tamen:quæ Huttenus in arte complexus eſt his verſibus:

Sunt breuia iſta tamẽ, deducta ab origine lõga,
Et man⁹,& titulus,fragor,& fragilis,duce,ariſta,
Cum ſopor,atq; farina,lucerna,diſertus,ofella:
Adde dicax,ſtabiliſq;,ſagax,odiúmq;,mamilla,
Et lotium,& fatuus,ſiquidémq;,curulis,acerbus:
Iunge femur,vada,aquæ,noto, cum quater, adde quaternus,
Cúmq; fides,vitiúmq;,viri,nato,arena,tigillus,
Quódq; ſit ex ſigno,ligulãq;,bubulcus,aceruus,
Et ſtabulũ,varicoſus,anus,coma,iũge numiſma.
Huc dom⁹,huc ocul⁹,huc cõfer lector, omaſũ.

¶Hæc quæ ſequũtur à primitiuis breuibus veniunt,attamen protrahuntur. Idem:

Deducta à breuibus ſic producenda notantur:
Regula,iucundus,ſtaturus,ſecula,vomer,
Vitupero,remus,tum caſus,iunior,humor,
Teguláq;,humanus,legis,laternáq;,rapum:
Caſeus & totus,vocis,iumentáq;,regis,
Viginti,binus,denus,trinus quoq; nonus,
Iugera,vena:quibus ſedes & macero,petus,
Serius,& nequam,feralis,ſumina,vires,
Vociferor,fomes,ceritus,ſeciùs adde.
Non ego cuncta meo lector,quærenda labore
Eſſe puto.Reſtabit enim ventura quod ætas
Quærat,& vt ſtudio quiſquam ſe exerceat illo.

Adijce his pedor à pede,Gradiuus à gradu,à breuibus longa.A longis corripiuntur, à dico Cauſidicus,maledicus, de quibus poſteà,fatuus à fatu. Lotium à lotu non corripitur, licet ita exiſtimarit Laurent.Valla.Catullus in hoc Scazõte ad Aegnatium produxit, Hoc te amplius bibiſſe prædicet loti, pro lotij, per Craſin, & ita

legunt doctiſſimi. ſexta autem Scazóntis ſedes Spondeum ſuſcipit. eſt igitur prima longa non breuis. Sed Vallenſis homo fuit, & vt humanus falli potuit.

De compoſitione.

Simplicis obſeruat menſuram compoſitiuum,

Quãuis dipbthongus, vel vocalis varietur.

Hanc legem ſpernunt dicus à dico, innubus atq;

Pronubus, ambitus, nihilum cum ſemiſopitus,

Peierat à iuro cum delerat, agnitus & cog.

Connubium varies. ab itum comitia dicas.

Se produc & di, præter dirimo atque diſertus.

Eſt re breue: at refert à res producere debes.

Reijcit, & reicit. Nam quæ iacio tibi format,

I prius interdum tollunt, vt corripiantur.

Addit vel demit, metri grauitate poëta.

¶Hîc annotandum nonnullos, quoties ſequitur vocalis in eadem ſyllaba pro i, propemodum ſonare g, vt gecit pro iecit, egicio pro eijcio. Quãquam enim iota tranſit apud Latinos in conſonantem, ſi præcedat in eadem ſyllaba vocalem, tamen ſonus debet eſſe medius inter vocalem & conſonantem.

Eſt pro breue in Græcis, pro longum ritè Latinis.
Corripias pronepos, profugat, profugit, proficiſcor,
Et procio peto ſignificans: cui iungo procello,
Atque profana, profeſſa, profunda, profeſta, profari.
Sunt contra patrem correpta, profectò, proteruus.
Propino vario, procuróque: iungo profundo.
Sic bene, docte, locas propello, propago, Lucreti.
Pars ſi componens fini prior i, vel o donat,
Sit breue: cunctipotens & Timotheus manifeſtant.
Quòd ſi non ſemper manet i, producito ſemper.
Quot natum, atq; dies rectè variato. at ibidem,
Et tibicen erit longum: cui iungis vbique.
Protrahit Auſonius matricidam grauitate.
Lagopus, gæolophus atq; Theophila produc:
Cum leucopetra geometra iungitur aptè.
Quod medius facit atq; dies, producito ſemper.

Compoſitio ſyllabarum quantitatem demonſtrat accentu, nam ſi neſcias in pius & potens quanta ſit prima, cognoſces ex compoſitis impotens, & impius, eſſe breuem: quod oſtendit accentus in antepenultima. Marius Victorinus:

Sed hac ratione primas ſyllabas rite cognoſcimus,vt ſi præpoſitionem illi verbo addamus,cuius primam ſyllabã cuius naturæ ſit, quærimus. Cum ergo addiderimus verbo præpoſitionem, ſciamus quo modo conſuetudo pronunciet: cuius rei exemplum hoc eſt,dico,as,ab eo quod eſt dicare:addamus illi præpoſitionẽ de,& faciamus dedico. Videamus quomodo conſuetudo pronũciat,ſi producta media an correpta: vtiq; correpta,vt dédico: Sic inuenimus & longas,vt clamo: addamus illi præpoſitionẽ in, vt fiat inclâmo, producta media dicimus non correpta. Item ſunt nomina quibus præpoſitio addi non poteſt,vt halit9, faciamus verbũ halo,addamus præpoſitionẽ,vt fiat exhalo, media ſyllaba producta pronunciamus, ibi apparebit etiam halitus qualis ſit in prima ſyllaba. Quanta eſt ſimplicis ſyllaba, tanta & compoſiti eſſe debet.Excipitur pronuba à nubo, vt, Tellus & pronuba Iuno Dant ſignum.& innuba. Compoſita à dico in dicus exeuntia cõtrahuntur.Virgi.Fatidicæ Manthus,& Thuſci filius amnis.Mar.Carpere cauſidicus fertur mea carmina.Sic maledicus. Caue cum Autore Commentariorum Latinorum producas ineptè & imperitè. Ambîtus participium longum eſt. Ouid.Iuſſit & ambitæ circundare littora terræ:ad differentiam nominis ámbitus.Lucan. Lætalíſque ambitus vrbis. Sic nihilum.Perſius,De nihilo nihil in nihilum &c. Et ſemiſopitus.Ouidius, Theſea præſumit ſemiſopita manus.Comitium,à ſimul eundo dicitur. Sil. Nanque huic comitia campus Iura

atq; arma tulit. Connubium. Virgil. Connubio iungam ſtabili. Idem, Cuíq; loci leges dedimus connubia noſtra. Et conuitium productum eſt, ex con, & vitium: quanquam alij à vocibus quaſi conuocium, alij à vicis in quibus primò habitum eſt, dictum conuicium tradunt: quod ſi eſt, per c, ſcribendũ eſt. ¶Præpoſitio quanta eſt in appoſitione tanta etiam in compoſitione eſſe debet. Si in appoſitione breuis eſt, erit & dictionem componens, niſi poſitione fiat longa. Sin verò longa eſt ſeparatim, erit & coniuncta & combinata. Longæ ſunt præpóſitiones, A, vt amitto. aperio componitur ex ad & pario, ideò correpta eſt. De, vt deduco. Di, vt diligo. Excipe dirimo. Ouid. Lis eſt arbitrio non dirimenda meo. & diſertus. Horat. Fœcundi calices quem non fecere diſertum? E, vt emitto. Se, vt ſeduco. Præ, diphthongo ſcribitur. Pro, in Latinis, vt, Promittas facito, quid enim promittere lædit? Excipiuntur breuia vocabula contextus. Ouid. Eſt Neptunus auus, pronepos ego regis aquarũ. Perſius, Patruelis nulla proneptis. Valer. Flac. Contingat mihi deinde mori: ſic fata, profugit. Virg. Italiam fato profugus. Propert. Magnum iter, ad doctas proficiſci cogor Athenas. A procio quando ſignificat peto, veniunt procus, procax, reciprocus. Procello. Lucret. Turbinis immanem vim prouomit atq; procellit. Virg. creberque procellis Africus. Prophanus. Idem, procul ô procul eſte prophani. Ouid. Soláque formoſam culpa profeſſa facit. Virg. Terráſq; tractúſque maris cælúmq; profundum. Auſon. Le

ta niſi auſteris variĕtur feſta profeſtis. Luc. Hoc ſatis eſt dixiſſe Iouem, ſic ille profatur. Itē pro, corripitur, ſi componatur cum dictione incipiē te à vocali. Virg. Oramus, ꝓhibe infandos à nauibus ignes. Variātur autem propino, procuro, profundo, is, ere, propello, propago, as. Mart. Nō nihil eſt, quod propinabis in iſtis. Idem, Nemo propinabit Calliodore, tibi. Virgi. Procurate viri. Ouid. Riſit, & hic inquit, facito mea tela procures. Catull. Mœſto profudit pectore voces. Ouid. Ipſa nihil pręter lachrymas pudibunda profudi. Lucret. Eſt procul à tergo qui prouehat atque propellat. Idem, Atque alium præ ſe propellens aëra voluit. Idem, Propagare genus poſſet. Ibid. Nec ratione fluunt alia, ſtragémq; propagant. Corripiūtur hæ propoſitiones, ab, vt abeo: ad, vt aduro: in, vt ineo: ob, vt obambulo: per, vt pereo: ſub, vt ſuborno: ſuper, vt ſuperaddo: re, vt repono. Demitur hinc refert, cū diſtare aut intereſſe ſignificat. Iuuen. Quid refert dictis ignoſcat Mutius an non? Nec mirum tunc produci, nō enim à re præpoſitione, ſed nomine componitur. Ab, ad, ob, ſub, in, re, con, cum iacio compoſita producuntur. Virgil. Reijce ne maculis. Idē, Viridis ſe ſubijcit alnus. Idem, Aut tu mihi terram Inijce. Quotieſcunq; huiuſmodi præpoſitiones cum verbo iacio compoſitæ corripiūtur, fit abiectione literæ i, vt apud Virgil. à flumine reice capellas. & apud Luc. Cur obicis Magno tumulum? Obijces etiam & ſubijces gemino ij, deberēt ſcribi ait Gellius ſuper eo Virgilij verſu, Qua vi maria alta tumeſcant Obijcibus ru-

ptis. Repperi, reppuli, rettuli, relligio, relliquiæ in metro ſæpè gemina ſcribuntur cõſonante, vt re, breuis præpoſitio, poſitu intendatur. In proſa verò oratione nõ itidem. Inueniuntur etiã redduco & rellatus re, poſitione producere. Auſo. At qui condiderat, poſtquam nõ repperit aurũ, Aptauit collo quem reperit laqueũ. Ouid. Quæque feros repuli. Lucan. Reppulit à Lybicis. Virgil. Socios à morte reduxi. Lucre. Redducit Venus & redductã Dędalã tellus. Teren. Quod ab illo allatum eſt, ſibi id rellatum putet. vbi Donatus ait, Et geminauit ll. vt, Relliquias Danaũ. Lucre. Id rurſùm cœli rellatum membra receptant. Sic, vt putat Aldus, litera in metro geminat conſonantes, vt producat primam poſitione, quæ naturaliter breuis eſt: nam à lino venit, vt quatuor, à quater, litus à litando, terra à terendo: quod nomen ſimplici conſonante in proſa oratione ſcribendum iudicat ſic, tera. Quòd nonnulli aliter ſentiant, hinc ortum errorem dicit, quia cùm in carmine geminent conſonantem, idem etiam in proſa faciendum exiſtimãt. Adde quòd in augurum libris tera ſimpliciter ſcribi ſolebat. De præpoſitionum quãtitate eleganter Huttenus ſic ſcripſit:

A præ, ſe, de, pro, ſimul e, di, longa reponas,
Cõpoſitis, dirimo tamen hinc, & tolle diſertus.
Ad, ſub, ab, ínq;, per, ob, re, bi, tri, cõtraria ſunto:
Ni poſitu longæ fiant. biga excipe tantùm.

Nam etiam bi & tri, in compoſitione corripiuntur, vt bidens, triuium, tricorpor. I, compoſitione medium corripitur, vt, identidẽ. Catul. Nul-

lum amans verè, ſed identidem omnium Ilia rumpens. I, tamē apud Vergi. in Aequicola producitur. Quanticunque etiam & qualicunque i, producunt, ratione genitiui aut datiui in i, nō enim ſeruatur in cæteris caſibus, vt in omnipotens: ſed in genitiuo tantùm quanticūque, & in datiuo vel ablatiuo qualicunque dicimus. Iuuenal. Quanticunq; domus conſtet. Manil. Omne quidem ſignum ſub qualicunque figura. Neſtor hæc adnotauit de plerique & vtrique. Si dixeris, inquit, has dictiones contineri ſub illa regula, Hoc de compoſitis teneas quòd, &c. reſpondetur quòd eadem ratione ibidem & vbiq;, quæ ab hac regula eximuntur, bi ſyllabam indifferētem haberent: quam tamen conſtat ſolùm eſſe productam per Craſin, vel propter monoſyllabum adiectum. Cæſar in Arato, Virgine erunt pluuiæ, plerique in nube fragores. Mart. Promiſit pariter ſe Phyllis vtrique daturam. Sciēdum quoque quòd quidam equidem coniūctionem compoſitam eſſe exiſtimant ab ego, & quidem, ſed errant, autore Priſciano. Simplex enim eſt, vt ait, & hoc maximè ex ipſa quoq; conſtructione orationis poſſumus intelligere. Nam equidē facio, equidem facis, equidem facit, dicimus. Et poteſt equidem ad primam, & ad ſecundam & ad tertiam transferri perſonam: quod minimè fieret, ſi eſſet compoſitum ex ego & quidem. Nemo enim dicit, ego quidem facis, ego quidem facit: ſed ego quidem facio tantummodo ad primam perſonam. Et hoc vſus etiam autorum approbat: qui equidem præpoſita, ego ſubiungunt,

vt Salluſt. Equidem ego ſic exiſtimo patres conſcripti. Si eſſet enim compoſita equidē ex ego, & quidem, minimè ei ego, ſubiungeretur. Hactenus Priſcianus.

De præteritis & ſupinis.

Præteritiua tenent primam diſſyllaba longam.

Tolle bibit, ſcidit, atque fidit, tulit, ortáque do, ſto.

Corripiunt binas geminantia: ceu ceciderunt.

Tolle ceciderunt, à cædo: à pedo, pepedi.

Cuncta ſupina tenent primam diſſyllaba longam:

Præter nata ſero, cieo, ſino, ſto, ſino, ſiſto,

Do, ruo, cum queo, eo, reor. at ſtaturus atum dat.

Præ tum vocalem de vi reliquis dabo longam.

Omne præteritum diſſyllabum priorem producit, ne minorum ſit temporum quàm præſens, quod rariſſimè inuenitur, autore Priſciano. Debet enim præteritum vel plurium temporum eſſe, quàm præſens: vt lego, legi: vel totidem, vt venio, veni. Pauciorum autem rariſſ. inuenitur, vt findo, fidi. Virgil. Diffidit, & multa porrectū extendit arena. Lucan. Subitis aut obruit vndis, Aut ſcidit. Mart. Vnguentum, fateor, bonum dediſti Conuiuis here, ſed nihil ſcidiſti. Veteres, vt Ennius, ſcicidi, protulerunt: autor eſt Priſ. Lā

gueo & Liqueo pares habent in præſenti & in præterito ſyllabas. Corripiunt enim penultimã præteriti, ídque vſus comprobat. Ouid. Impoſito fratri moribunda relangüit ore. Idem, Necta re corpus delicuit. Idem, Delicuit, ſtagnúmque ſuo de nomine fecit. ¶A ſupinis diſſyllabis excepta ſunt, ſitũ. Virgil. per loca ſenta ſitu. A cieo cies, citum. Stat. Excitus, & longam pridem indignantia pacem Corda tumor. Nam à cio cis quartæ producit ci. Virg. Excitũ ruit ad portas. A ſero, ſatum. Ouid. Sole ſatus Phaëton. A lino, litum, Virgil. Et paribus lita corpora guttis. Ab eo, itum. Idem, Morte obita. A do, datum. Idem, Sed mihi ſorte datum. A reor, ratũ. Idem, Nos abijſſe rati. A ruo, rutum. Ouid. Diruta Marte tuo. Vbi obſeruare oportet ſupinum à ruo fieri in utum, & participia præterita formari ab utũ, vt, obrutus, dirutus. Participia verò in rus venire ab üitum, vt, diruiturus, obruiturus. Sunt qui dicunt, à ſteti, ſtatum breue eſſe: quod tamen producitur ſecundum Priſc. Sic enim præcipit, Steti verò ſtatum ſupinum penultima producta debet facere. vnde Lucanus in ſecundo: Conſtatura fides Superûm. Deinde addit, Eſt tamen in hoc quoque notandum, quòd nomina ab eo deriuata, a penultimã corripiunt, & antepenultimam, vt, ſtatus, ſtata, ſtatum. Luc. Quorum ſtata tempora flatus. Idem, Quam non è ſtabili. Hæc Priſc. Præteritum in vi, quod ſupinum in tum ponit, vocalem præcedentem tum, producit. Solutum & volutum, & oblitum etiam protrahuntur, licet non ritè formari videantur. Cę

terorum præteritorum & ſupinorum tanta eſt prima, quanta præſentis. Amaui primã corripit, vt amo: clamaui producit, vt clamo. Huttenus, In reliquis præſens hæc tẽpora cũcta ſequũtur. Sic colo dat colui: ſic verbũ amo, format amaui. Tolle tamen potui, genui ex illis, poſuíque. Sic ex illis ducta ſupina poſitum, genitum corripiũtur, & quęcunque mutant non vi ſed ũi in tum, vt parũi, paritum, &c.

Incrementa verborum.

A creſcens produc, niſi cremento Dare *primo.*

Ni ſubit r, produc e, ſemper: cum ſubit r, do

Cum ſocio ternæ breue præſens. protrahe reris.

Semper e, corripitur præ ram, rim, ro: beris adde.

In reliquis produc: quanuis ſtéterunt Maro *dicat.*

I, produc primo cremento, dummodò quartæ

Eſt verbum. debet ſemper producier iui.

Corripe præteritis imus vndiq; vénimus edit.

In coniunctiuo rimus, ritiſque licenter

Inuenies. Nolite, velito, velimus, & itis,

Et ſimus, ſitis produc. Erit u, breue, non o.

Duplex eſt verborum incrementum, primum &

ſecũndum. Primum, eſt cum ſuperatur vltima ſyllaba ſecũdæ perſonæ præſentis ſingularis verbi in o,ſequente alia ſyllaba.Secundũ cum alijs ſyllabis ſequentibus eadẽ ſuperatur.A in vtroq; longa eſt.Excipitur do,das in primo tantùm,cũ ſuis compoſitis.In paſſiuis,deponẽtibus,& communibus fingitur verbum in o.

E ſemper longum non ſequente r.

E,ſemper longum,ante runt & re in præt.perfe. & in rêris & rêre.

E,ante ris & re in futuris verborum in or,tertię & quartæ coniugationis,longum.

E,in incremento ſecundæ verborum in o, ſemper longum,niſi ante ram,rim,ro.

E,in verbis ſecundæ in or, ſemper longum, niſi in beris,& bere.Sic beris,& bere,in prima, vt, amaberis.

E,vbique breue in eram,erim,& ero:& in futuris beris,& bere primę & ſecundæ coniugationis, vt dictum eſt.

E,ante r,in tertia cõiugatione ſemper breue,exceptis êris & êre futurorũ,& rêris & rêre verborum in or.

I,in creſcentibus verbis quartæ vbique longum, niſi in imus,itis præteritorum verborum in o: & in mini,minor,verborum in or.

I,in dictis imus,itis,mini,minor,vbiq; breue.

I,in ritis futurorum cõiunctiuorum verborum in o, longum. volunt etiam in rimus, prima plurali eiuſdem futuri,ſed paulò licentiùs.

I,in incremento ſim, velim, poſſim, & aliorum

compoſitorum longum.
I,vbique alibi in incremento breue.
O,vbique longum.
V,vbique breue.
¶Aduerte v,in præteritis perfectis,vt amaui,repleui,petiui,audiui,& in deductis ab eis,vt amaueram, repleueram, petiueram, audiueram vim habere duplicis conſonantis. Vide Aldum lib.4.

Quæ ſequitur primam,tantum producit Iberi.

Incrementum nominum,exceſſus eſt obliqui in ſyllaba, vel ſyllabis ſupra nominatiuum eiuſdem numeri. prima declinatio non creſcit. Incrementa pluralia hoc diſticho cognoſcentur.
A longum ſit,& e,ſimul o:tamen u,rapis ique:
Vt quarum,rerum,florum,uerubus,grauibúſque.
Secunda declinatio incremento corripitur, niſi in nomine Iber,Iberi,& compoſito Celtiber.

A,& O.

Dic atis.Onis ab o,fer:inis breue.protrahis enis.

On ſi vertis in o,menſus ſit,qui fuit antè.

A tertiæ incremento vbique corripitur, vt dogma,dógmatis. E non creſcit,neque i,neq; u, in ſingulari.O,vel mittit genitiuum in onis,tũc eſt longum:vel in enis,& tunc quoque longum, vt ſermo,ônis,&,Anio,Aniênis:vel in,inis,tunc i,correptum eſt,vt,virgo,virginis.

Dices Halecis,nec ſpernes Melchiſedecis.

David Davidis dices. Bogudis Bogud optat.

Maſculeum dat alis: neutrum formatur ab alis.

Elis cum Solis produc, reliquis breviatis.

Al, maſcul. corripit penult. neutrum producit. El, etiam producitur. Il, corripitur. Ol, producitur. Vl, breue eſt. vt, Hannibal, Hanníbalis: animal, animâlis: Michael, Michaêlis: vigil, vígilis: Sol, Sôlis: Conſul, Cónſulis.

On nimis incertum eſt. En, inis dat. cætera produc.

An longum eſt, vt, Titan, Titânis. En, niſi genitiuũ formet in inis, etiam producitur. In porrigitur, vt, Delphin, înis. On in quibuſdã productum, & in quibuſdam correptum reperies: vnde ſub legem certam cadere non poteſt.

Ar, er, ir, or, ur.

Aris produco neutris. nectar, iubar aufer.

Protrahe nar, naris, furis, veris, Ricimeris,

Bizer, Ser & Iber: In ter Græcum, æthere dempto.

Oris ab or, produc. cum neutris corripe Græca.

Arboris & memoris breuies, indictáque cuncta.

Ar, aris neutrum, lõgum: excipe nectar, néctaris: iubar, iúbaris: hepar, hépatos: & par, paris. Er, corripitur: excipiuntur, ver, vêris, Ricimer, Rici-

mêris,Byzer,êris:Ser,êris:Iber,êris:quod eſt duarum declinationum,vt ſuprà docui. Protrahuntur & nomina Græca,in quibus η,vertitur in e, lōgum:vt character,charactêris. Et ab ijs quoq; Græcis æther eximitur, quia penultimam breuiat in genitiuo. Ir,breuia vbique. Or, produc, niſi in Græcis,Hector,Hectoris, & ſimilibus: & in ijs nominibus,arbor,memor,indecor: & neutris in or,vt æquor,marmor.

As,es,is,os,us.

Atis ab as produc. Ab anas,anatis breuiato.

Cætera corripies,niſi vaſis.dico vadis vas.

Es breuiat,niſi cum locuples,mercéſque,quiéſque:

Sic hæres. Græcum iungo quod præbuit ētis.

Is breuiat.tolle glis,gliris,quódque dat itis:

Et Pſophis,Crenis,Neſis:Græcum quod in η,fit.

Protrahit os.tria corripiunt,bos,compos,& impos.

Vs breuiat.tollas præ dis,ris,tis quod habebit

V:præter pecudis,Liguriſque:intercutis addo.

At melius melioris habet:conformia iunge.

Conſona cum præit S,patrij penultima curta eſt.

Hic Cyclops,ſeps,gryphs,conops, cercops remoueto,

Atque Europs, hydrops. fuge Cyclopis atque Dolopis:

As, ſi eius genitiuus in âtis exeat, long. excipe anas ắnatis. In reliquis a, corripis, vt, lãpas, lámpadis: vas, vadis. vas tamen vaſis producitur. Es breu. tolluntur hinc Græca facientia genitiuum in etis, vt Chremes, êtis, & poſita in contextu nomina.

Is breue. Excipe { Græca in n, vt Salamis vel Salamin, delphis vel delphin. Quæ dant genitiuum in itis, vt, lis, litis. & poſita in contextu. }

Os longum. Excipe bos, compos, & impos.

Vs breue. Excipe { Comparatiua in ius, vt melius, ôris. Quæ habẽt u, ante dis, ris, tis, vt palus, udis: ius, iuris: virtus, virtutis. } ab ijs excipe { ſpecus. Ligus. interc9. }

X

Præ gis vocalem breuio. producito lex, rex.

Ex icis abbreuiat. vibex niſi, cætera produc:

Præter abax, ſmilax, Atrax, cum dropace, Candax,

Fax, & Atax, Pharnáxq;, panáxq;, ſtoráxq;, Coláxq;

Pix, & onyx, illix, hiſtrix, cum maſtiche, varix,

Coxendix, & Eryx, fornixq;, calixq;, Cilixq;.

Dic filicem, ſalicem, laricem, natricémq; niuémq;.

Cappadocem breuibus cum præcoce ſubijciamus,

Dux,trux,nux,crux,atq; volux. variabo Syphacē,
Et Bebrycem. raro nomen producimus iſtud.

Ax,acis producitur,vt thorax,thorâcis:corax, corâcis:excipe abax, ſmilax,Atrax,Dropax,Cādax,fax,Atax,Pharnax,panax,ſtorax aut ſtyrax, & Colax.Syphax & Bebryx variantur.Ex genitiui penultimam producit,vt veruex,veruêcis,halex,halêcis, fex, fecis. Si habeat vocalē ante gis, breuiatur,vt,remex rémigis,grex gregis: excipe lex,legis,rex,rêgis.Quòd ſi e,in i,mutetur,illud corripit,vt,ſilex,ſilicis: podex, pódicis. vibex,vibîcis ſolū producitur. Nomina in ix,adiectiua, producuntur incremento,vt,felix,îcis, vltrix & pernix.Similiter ſubſtātiua maſculina & fœminina,vt,Phœnix, bombix, Cêix, ſpadix, ſandix maſcu.cornix,radix, fœmi. Excipiuntur tamen ab ijs omnibus,pix,onyx,illix,hiſtrix,maſtix maſtichis(reperitur & maſtyx maſtygos)varix,coxendix,ſtyx ſtygis,ſtrix ſtrigis, Eryx, fornix, calix, Cilix,filix,ſalix, larix,natrix, & nix. Ox ocis producit,vt,velox,ôcis, ferox,atrox,vox:excipe Cappadox,& præcox.Dictio in ux,patrio longa eſt,vt frux,frûgis,lux, lûcis, prorux,ûcis, halux, ûcis:excipiuntur trux, nux, crux, dux cum ſuis compoſitis,& volux,vólucis.

Finis libri ſecundi.

Primarum & mediarum ſyllabarum regulas tradidimus huberrimè in Quantitatibus Alexandrinis à nobis emendatis & locupletatis,& iam ſecundò æditis, anno D. 1542. In vltimas autem ſyllabas, quæ ſubiecta ſunt, adnotauimus.

Artis verſificatoriæ Io. Deſpauterij Liber tertius.

A,in vltimis.

A Declinatum breuia.ſed protrahe Sextum
Et Quintũ,cui9 Rect9 producitur,& mna.
Producunt noſtri quædam muliebria Græca
In Recto,vt Tegea.ſine teſte nihil volo tale.
Non declinatum produc:ita cum quia demptis,
Et putà non verbo.Ginta meliùs loco longum.
Poſteà & vltrà leges cum contra curta licenter.
Eiä breue eſt Flacco.

¶A finita producuntur,ama, contrà, præterea, à poëta, à muſa. Sed regula habet exceptiones tres. Prima eſt, Nominatiui, Accuſatiui, Vocatiui in a, corripiuntur, hæc & ô fabula, Priamëia virgo. præter vocatiuos à nominatiuis Græcis in as,hic Aeneas, ô Aenea: & Græca in a productũ,Nemea,Tegea. Státius: Te Nemea tibi Lerna comas,&c.Idem,Non Tegea nõ ipſe Deo vocat alite felix Cyllene.Ouid.Mittit Hypermeſtra de tot modò,&c. Secunda,Numeralia in Ginta finalem habẽt indifferentem.Mart. Sexaginta teras cum limina mane Senator.

Manil. Ter triginta, quadrum per parteis ſydera reddunt. Petronius Arbiter: Sanguine Romano iam ſexaginta triumphos. Tertia, ita, putà, quia corripiuntur. Fruſtrà corripit Feſtus: Ima vehũt cæli luxit dum fruſtrà frequenter. Contrà Lucretius contrahit: Ne fortè hæc per ſe cogã nos contra fateri. & Manil. Contrà iacet cancer patulam diſtentus in aluum. Sic vltra apud Seuerũ corripitur: Cura nihil prodeſt, nec ducitur vltrà cicatrix. & anteà apud Mantuan. Anteà conceſſit, nec pòſt concedet Olympus. & poſteà apud Ouid. Poſteà mirabar cur non ſine litibus eſſet.

¶ *Verum id adnotandum quòd libram nunc, & minam centenarias intelliginus, indifferẽter utẽtes: quod pondo etiam identidem appellatur Plin. lib. XXI. mna quã noſtri minam uocant: pendet drachmas Atticas centum. quo in loco Hermolaus mnam (inquit) libram: pondo pro eodẽ noſtri dicunt: ut Græci μνᾶν, λίτραν, ὁλκὴν. quod dictum ut non uſquequaque uerum eſt: ita in re nummaria libram & minam pro eodem ferè uſurpari deprehendimus: uix ut differentiam animaduertere poſſis q̃libet obſerues accuratè & Latinos & Græcos. Hæc Budæus de aſſe lib. 2.*

¶ E, in vltimis.

E breuia. Primæ produc & nomina Quintæ,
Cum natis: addes pluralia cuncta Secundæ:
Iunge Docę & ſocias. Monoſyllaba longa repono,
Inclinatiuas præter. Malè cum bene dempto,

Omnia produces aduerbia, ſiqua Secunda

Præſtiterit: ſummique gradus aduerbia quæuis.

Sunt fermè atque ferè producta: quibus dabis ohe.

¶E finita corripiuntur, Mille, omne, ſcribe, &c. Sed hæc regula habet 5. exceptiones. Quarum prima, in E, à Græcis in η producuntur: πηνελόπη, Penelope: πασιφάη, Paſiphaë: ὦ ἀγχίση, ô Anchiſe. Secũda, Genitiui, Datiui, Ablatiui quintæ declinationis in E, producuntur. Tertia, imperatiua ſingularia ſecundæ coniugationis producuntur, Mane, Doce. Vale verò & caue cum corripiuntur, ſunt à valo & cauo tertiæ coniugationis. Ouid. Idque quod ignoti faciunt, vale dicere ſaltem. Idem, Tu caue defendas, quanuis mordebere dictis. Horat. Vade vale, caue ne titubes. Propert. Tu caue ne triſti cupias pugnare puellę. Sic vide apud Perſium: Auriculas, vide ſis ne maiorum tibi fortè. Quarta, monoſyllaba in e, producuntur, te, me, ſe: præter que, ve, ne pro an. næ pro vtique, certè, diphthõgo producitur. ne prohibendi producitur, vt etiam in compoſitis nequis, nequando. Syllabicæ adiectiones non dictiones monoſyllabæ ſunt, ſed vltimæ dictionum ſyllabæ, ideo corripiuntur: veluti, huiuſce, illicce, tute. Lucret. Accipe prætereà quæ corpora tute neceſſe eſt. Idem, Tutemet à noſtris iam quouis tempore vatũ. Ennius, O Tite, tute Tati tibi tanta Tyrãne tuliſti. Alphius Auitus, vt citat Priſcianus, Seu tute malis hoſpites, Seu tute captiuos habes. ſunt enim Dimetri Iãbici.

Quinta, aduerbia in e, à datiuo in o, producuntur. præter bene, & malè correpta. magè etiam pro magis corripitur. Aequè tamen porrigitur, & Bacchè interiectio bacchantis. Horat. Vſque ad mâla citaret Iò Bacchè, modò ſumma Voce, &c. Pluralia quoque in e, producuntur, vt Cæte, Tempe, Mele. Catull. Tempe, quæ ſyluæ cingũt ſuper impendẽtes. Val. Flacc. Cerneret & Tempe viridi luctantia fumo. Horat. Vos Tempe totidem tollite laudibus. Aſclepiadeum eſt. Ouid. Sylua: vocant Tempe per quæ Peneus ab imo. Sil. lib. x i. Ad murmur Cæte toro exultantia cælo. Lucret. Ac Muſæa Mele. Idem, Et Cygnea Mele, Phœbæáque Dędala chordis. ¶Notandũ quædam nomina aliquando primæ eſſe declinationis, & tunc produci, & aliquãdo tertiæ, & tũc corripi. Lucanus: Heſperiam Calpe, ſummóve impleuit Atlante. A Calpes, Calpis in genitiuo, Calpe ablatiuus breuis eſt apud Iuuenal. Aequora tranſilijt, ſed longè Calpe relicta.

I, in vltimis.

I longum pono. Vocitantem contraho Ternæ:
Sæpéque Græcorum Ternum, Minoidi teſtis.
Sed niſi, ſiue quaſi, mihi, ibi, ſibi, vbi variabis:
Et tibi, iunge cui. tantùm breue Moly locatur.

¶I finita producuntur, Dei, amari, dixi. Sed hic modus habet duas exceptiones. Quarũ prima,

Datiui & vocatiui in i, quorum genitiuus ſingularis in os correptam apud Græcos deſinit, corripiuntur, Huic Palladi, ô Pari. Stathius, Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum. Ouid. Bella gerant alij, tu Pari ſemper ama. Quos caſus à Græcis mutuati ſemper corripimus. Cùm igitur apud Latinos Daphnidi, Tyndaridi, & huiuſcemodi datiui producunt i, fit per communem modum, cum dictio in breuem deſinit, & eſt pedis principium, quod eſt frequentiſſ. apud Homerum. Secunda exceptio eſt, mihi, tibi, ſibi, vbi, ibi, modò Pyrrhichij ſunt, modò Iambi. Prima enim ſemper breuis eſt, vltima verò indifferēs. In niſi & quaſi vult vtranq; corripi Aldus, reperies in illis exemplis in fine produci. Lucret. Et deuicta quaſi cogatur ferre patíque. Rufus in Arat. Vt nec curua quaſi declinet cornua, nec tum. Sidonius, Sint tantum, penitúſque niſi nihil eſſe probentur. Probus in inſtitutis artium, cui particulam duarum ſyllabarum eſſe tradit, Pyrrhichiúmque conſtituere, aliquando etiam Iambum. Martial. Et credit cui Poſthumilla diues. Phaleucium eſt. Capella, Et compar ſtudio, ſed cui terreus. Aſclep. Idem, Cui panditur aula Tonantis. Anapæſticum.

¶ Laudatiſſima herbarũ fuit, Homero teſte, quã vocari à Dijs putant Moly, cuius inuentionem Mercurio aſſignauit, contráque ſumma Circes veneficia demõſtrauit, decima Odyſſeæ rhapſodia. Ouid. in tranſformationibus, Pacifer huic florem dederat Cyllenius album, Moly vocant ſuperi, nigra ceruice retētum. Inuenitur (vt tra-

dit Dioſcorides) in collibus & fœcũdis aruis,ſeſquicubitali ꝓceritate,cauliculis teretibus, folio minuto,rumicis effigie,ſed criſpo,floſculis ex luteo candicantibus, odore viroſo, ſiliquis tripartitò diſtinctis,paulo quàm ſatiuę longioribus,in quibus triangulũ ſemen, ſubrufum continetur.

O,in vltimis.

O commune datur.Produc monoſyllaba,iungens
Cum terno ſextum,atque aduerbia nomine nata.
At variabo citò,cum ſeduſò,mutuò,crebrò,
Seròque.ſit curtum modò ſolum.ſed breuiari
Ergô pro cauſa non vult.Produco quaterno
In caſu nomen,ſit cuius in us genitiuus.
O patrij produc.variáque gerundia vera.

❡Licet Ego,frequentiùs corripiatur, inuenitur tamẽ produci. Virg.in Diris,Auſus ego primus caſtos violare pudores. Auſon. Sicut ego ſolus, me quoque pauperior. Idem, Separor vnus ego ſed partem ſumo minorem. Probus dicit produci poſſe ſecundùm naturam o, literæ vocalis, quæ in vltimo frequentiùs producitur, quàm corripitur. Duo & Scio perinde poſſunt produci atque Ego,ſecundum Probum.Martialis o in ſciero produxit : qui ſit,Neſcio,ſi ſciero væ tibi cauſidice.ſic in hymno eccleſiaſtico, Scio futu-

rum iudicem,ſed quando neſcio tamen.Iambici ſunt Dimetri.Verò coniunctio apud Valerium Flaccum corripitur & Sillium. Profectò numeratur inter indifferentia. Citò vix productum reperies, veluti homo, ambo, & duo & illicò. Quomodò aduerbiũ corripit Martialis ad Caium,Quicquid habent omnes accipe,quomodò das.Idem,Si tam pauper quomodò cæcus amat? Genitiuus in o,producitur tantum,Apollos,Apollo,Athos,Atho:& ſimilia per tertiam declinationem Atticam.Dummodò breuiatur.Iuuenal. Dummodò non pereat,mediæ quod noctis ab hora.

V,B,C,D,T,L,N,R.

V ſemper produc.B contrahe.Barbara deme.
C produc,præter nec,donec.Sed variabis
Hic benè pronomen. Fac verbum iungimus iſth.
D,breue ponatur:ceu T,niſi Syncopa fiat.
L breue ſit.Cum Sol,ſal,nil,tolluntur Hebræa.
N produc.Demas an,in,& prolem,tamen,atque
Forſitan & forſan,vidén':huic conformia iunges.
Quod dat inis curtũ eſt, velut on, quod Tertia neſcit.
Corripitur Quartus, quãdo breuis vltima Recti eſt.
R breuies,produc cuius dat Patrius eris.

Addito Iber, aër, æther. Sit Celtiber anceps:

Vt cor, non longum melius. Producito tantum

Cur, far, Lar, fur, Nar, par. vix prolem breuiabo.

¶Refragatur Priſciano Aldus, qui nomina in u, in omnibus produci caſibus ſe inueniſſe ait, nec irrationabiliter. Omnis enim, inquit, in quacũq; parte terminatio in u deſinens, producitur, vt, fluctu, Panthu, tu, diu. Vult enim Aldus ex autoritate Max. Victorini, & Seruij, neutra in u, in nominatiuo, accuſatiuo, & vocatiuo corripi, in reliquis verò produci. Et ſeptimum caſum eſſe contendit in illo Virg. Nuda genu, nodóq; ſinus collecta fluentes: & eſſe ſeptimum caſum, nuda genu, colligi ex Probo, vbi ait, Nominatiuũ ſingularem aptoti nominis neutri generis V litera terminatum in poëmate aliquo, non faciliùs inuenies, vt ſi facias hoc cornu, hoc genu, vel hoc gelu. Nam hæc nomina apud Virgilium in ſeptimo caſu inueniuntur. Non negat tamen poſſe produci ratione communis ſyllabæ, per eam regulam quæ dicit, *In Heroïco uerſu cuiuſcunque pedis ſyllaba prior, cum à ſuperiore uerbo remanſerit, promiſcuè lõga erit, aut breuis, ut poëta uoluerit, quoniam in ea pars orationis impletur.* ¶Barbara in B producũtur, teſte Nebriſſeñ. Iuuẽc⁹, Hoc Iacob etenim puteo cum prole bibebat. ¶Sic, apud Martialem ſemel corripitur: Et ſecũ, ſic vt audiam, ſuſurrat. Phal. eſt. ¶Hic aduerbiũ, ait Valla, veteres diphthongo Græca e & i, ſcribere ſolebant: quemadmodum in nonnullis marmoribus ſcriptum a-

nimaduerti hæc, ideóque ſemper eſt productū. Nam dum Pronomen, aliquando corripitur, vt apud Virg. Vnus hic inflexit ſenſus. &, Hic vir hic eſt, tibi quē, &c. ¶Syncopata in T inuenies producta, ſed nunq̃ niſi vbi aliqua cæſurarum adeſt. Tutior eſt (autore Deſpauterio) etiam in ſyncopatis correptio. Iouianus Pontanus: Quoties conciſio fit, quantitas ſyllabę non mutatur. Cùm enim dicitur exiſtimauit, pronūciatio docet A produci in penult. ſyllaba, cui ſi adimas ui, dicáſq; exiſtimat, pro exiſtimauit, ſyllaba mat ſeruabit productionē ſuá, retinebítq; accentum, quē habebat ſtáte integra dictione. Hoc exēplū ideo poſui, quoniam Donatus dicit Terent. in illo ſuo Prologo poſuiſſe exiſtimat, pro exiſtimauit. Similiter immugit pro immugiuit, & it, pro iuit: quãquam cùm dicitur immugijt, & ijt, dempta tantùm litera u, corripitur. Nam vocalis ante vocalem more noſtro corripitur, niſi fuerit diphthongus, paucis quibuſdam exceptis. ¶M olim corripiebatur, nūc interimitur. ¶In P vnicum eſt vetus, volup, id eſt, voluptas, & producitur. Ennius apud Gell. cap. 4. lib. 12. Quocū multa volup, ac gaudia clámque palámque. ¶ Dauid cum Prudentio producito. ¶Hebræa finita in l, producuntur, vt docet Nebriſſeñ. Sic & Tanaquil Hetruſcum producitur, teſte Capella. Vult Aldus etiam Pol protrahi. ¶N producitur, vt Hymen, Titã, Delphin: & omnia nomina tertiæ in on, quia Græcè per ω ſcribūtur. Seruius in illud Virg. Te Corydon ô Alexi, donôA, inquit, Antibacchius, ſed ô breuis eſt ꝓpter

vocalem ſequentem. quaſi dicat Seruius, donô, A, ex natura vocalium eſt Antibacchius, id eſt, ille pes ex duabus longis & breui, ſed quia aduerbium ô hic propter vocalem corripitur, ideò fit Dactylus. Produc etiam omnem genitiuum pluralem in on cuiuſcunque fuerit declinationis, vt Cimmerion. Tibullus, Cimmerion etiam obſcuras acceſſit ad oras. nominatiuus eſt Cimmerij. Nominatiui, & accuſatiui Græci in on per o paruum, corripiũtur, vt Pylon, Caucaſon, Ilion, Pelion. Corripitur accuſatiuus, cuius vltima nominatiui breuis eſt, vt Medean, Menelaon, Orpheon, Parin, Ibin. Accuſatiui à longis nominatiuis producuntur tãtum, vt Aenean, Anchiſen, Alciden, Laërten, &c. ❡R finita corripiuntur, Cæſar, Torcular, vir, amor. Sed hic modus duas habet exceptiones. Quarum prima eſt, far, Lar, & cætera in contextu poſita producuntur. Cor commune eſt. Secunda, In er à Græcis in ηρ producuntur. vt, aër, crater, æther, character. Græcè enim ἀήρ, κρατήρ, αἰθήρ, χαρακτήρ dicũtur. Præter pater & mater, quæ ſemper corripiũtur, licet à Græcis veniant πατήρ, μήτηρ. Linther etiam corripitur, licet Gręcè per η ſcribatur. Tibull. Exiguus pulla per vada linther aqua. Hir volunt produci Grammatici quidam.

❡ S finita in quinque diuiduntur parteis: as, es, is, os, us.

As, Es, Is in vltimis.

As produc. Sed adis quæ dant Patrio breuiãtur,
Et Ternæ Quarto. vates bonus Helias inquit.
Ponitur es longum. Pluralia corripe Græca,
nam ab edo,es producitur differentiæ cauſa.
Quæ creſcunt velut es de ſum: penes inquies adde
Cum neutris: Et ſi Patrio eſt penultima curta
cũ ſuis cõpoſitis: vt tripes, bibes. ſonipes, quadrupes.
Ternæ. Tolle Ceres, aries, paries, abies, pes.
Is breuio. Verùm plurales protraho caſus:
Iſque quod in Patrio mutatur in itis, & inis,
Aut entis. Tethys vario. Glis, vis quoque nomen
Cum verbo longum eſt: veluti perſona ſecunda
Protrahit is, quoties îtis plurale reponit.

¶As finita producuntur, maieſtas, puellas. Sed hæc regula duas habet exceptiones, quarum prima eſt, Nominatiui in as quorũm genitiuus in dos deſinit, corripiuntur, vt Quatuor autũnos Pleïas orta facit. Secunda, accuſatiui Græci in as eorum nominũ quæ per os mittunt genitiuũ corripiuntur, vt Aonas in mõtes vt duxerit &c. Et, Permiſtos Heroäs & ipſe videbitur illis. Auſonius & Baptiſta Mantuanus corripiũt Helias. ¶Corripiuntur omnia Græca in es, pluralis numeri tertiæ declinationis creſcentia in ſingulari, veluti dæmones, Vaſcones, *Britones*. Et omnia

ab n,Pæanes,Delphines, & quæcunque additio-ne ſyllabæ faciunt genitiuum ab n.Et omnia ab er producto,vt crateres.Et oĩa ab or penult.ge-nitiui correpta,vt Caſtores.Et omnia ab as, an-tis, vel adis,vt gigantes, Arcades. Et omnia ab es êtis penul.lõga,vt lebetes.Et omnia ab is vel idis,vel entis,vel ios aut eos,vel ys yos,vt pyxi-des , Iaſpides , Erinnyes. Et omnia ab os oïs,vt Troës,& à ceros,vt Rhinocerotes,& ab eros,vt philerotes.Et omnia ab us odis,& untis, vt tri-podes,Opuntes. Quædam ex abs,ybs, aps, obs, vt Arabes,Calybes,Lelapes,Dolopes,Cyclopes. Et omnia maſculina ab ax,vt Thoraces:& quę-cunque habent gis,vt Leleges.

¶Quis pro quibus & accuſatiui plurales in is, tum vt differant à nominatiuo ſingulari , tum etiam vt diphthongo lõgos eſſę ſignificetur,per ei meliùs ſcribuntur, quod & antiquos feciſſe le gim⁹.Illud igitur ſic,Tu calamos inflare leueis. Item,Queis ante ora patrum.Item,Treis Notus abreptas in ſaxa latentia torquet.In is à Græcis in eis pe a diphthongum producuntur , vt Py-róeis, Simóeis. Ouid. Interea volucres Pyroeis, Eous,& Ethon.Idem, Hàc ibat Simóeis, hîc eſt Sigeïa tellus.quæ licet penultimam corripiant, tamen in ea accentus eſt acutus , quia integræ ad nos veniunt.Monoſyllaba in is producũtur, vt vis,ſis.Pręter is,quis,nominatiuos:mis,tis,bis genitiuos antiquos, & cis præpoſitionem.Iuue-nalis corripuit poſſis in eo verſu , Tam ieiuna fames! cum poſſis honeſtiùs illic, meliùs tamen defenditur extremæ literæ s,abiectione,vt cor-

ripiatur i,per communem modum. Hæc Aldus. Deſpauterius tamen legendum poſcis à poſco contendit acutiſſima Badij interpretatione adductus contra Mancinellum. Addit Aldus ſecūdas perſonas ſingulares futuri ſubiūctiui ꝓduci, vt dedero dederis,audiero audieris. nō pigeat te intueri quid ille ſcripſerit lib. 4. de vltimis ſyllabis,in ſeptima exceptione Is finitorum. Priſcianus vult produci Tethys,quod non extra cæſuram fieri poſſe Deſpauterio placet, alioqui corripimus pro Oceani vxore. Nā aliud nomē Thetis cum i, Latino notum eſt corripi tantùm. Ais melius corripi cenſet Deſpauterius, licet ai videatur Quartam olere. producitur ab Auſonio faxis.

Os,& us in vltimis.

Os produc. Patrius breuis eſt,& cōpos & impos:
Quia os oris producitur.
Oſq; oſſis præbens. Rectos breuiato Secundæ.
Os Recti produc,quoties tibi Patrius o dat.
Vs correpta datur. Monoſyllaba cum Genitiuis
Ternæ vel Quartæ produc: numeriq; ſecundi
In quarta Primū,Quartum,Quintúmq;;& in uris
Dúmve utis Patrius, vel in vdis,& vntis, odiſve:
Aut Quintus fit in u,longus tum Rectus habetur:
Ergò produces venerabile nomen I E S V.

¶ Notatur Palus, udis in Poëtica: Regis opus ſteriliſque diu palus, aptáq; remis. quod defendi poteſt excluſione S, literæ correpta V: quemadmodum Inſulæ Ionio in magno. Mus & ſus nõ ſolum producũtur quia monoſyllaba, ſed etiam quia Græcè μῦς, σῦς dicuntur, & υψιλὸμ longa eſt, id quod etiam accentu circunflexo oſtenditur. A pus compoſita etiam corripiuntur. Horat. in Epodis, Polypus, an grauis hirſutis cubet hircus &c. Idem, Delectãt veluti Balbinum polypus Agnæ: ſed tunc à Græcis in Os ad nos veniunt. Vbi notandum eſt Po, produci Doricè, à πόλυπος per ω magnum, eadem ratione etiam Polydamas apud Perſium. Quanquam aliqui & Pulypus & Pulydamas per V legunt Pu, quoniam & πουλυδάμας, & πόυλυπος per ου diphthongum apud Græcos cum πο producturi ſunt inuenitur. Amathus habet diphthõgũ ου, vnde Vir. longam protulit vltimam ſyllabã. Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos. Nã ſi Grecè fuiſſet Amathos, in Vs correptũ verteretur. Ratio igitur diphthongi producit eam ſyllabam. Hæc Ioui. Pontanus. Producuntur nomina in quibus vocatiuus in u deſinit: quia per ου diphthongum Græcè ſcribuntur. Vergil. Panthus Otriades arcis Phœbíque ſacerdos. Sic etiam nomen IESVS vltimam producit, quia Græcè Ιησοῦς ſcribitur.

QVANTITATIS VLTIMARVM, ET LIBRI TERTII FINIS.

Ecloga Syluius.

INTERLOCVTORES PARIS, CORYDON.

Ne nos ô Corydon, ſitiés abſorbeat æſtꝰ,
(Dum canis vrit agros) fontes vmbrámq; ſequamur.
Illic pennipotens volucris modulabile carmen
Cantitat, & ſtrepitant reſonanti murmure riui.
Illic cum Muſis nos oblectabimus ambo.
COR. Summè iucundũ loqueris gratúmq;, ſonoros
Allicit ad cantus etiam nos vinifer annus.
Ad ludos nos cuncta vocant. En muſtea poma
Arboribus pendent, quorum guſtatus amicus
Non ſolùm, ſed odoratus iucundus, amœnus
Eſt etiam aſpectus. ſtant ramis læta Damaſci
Pruna ſuis, & iuglandes & amygdalus. vua
Maturata ſua dulceſcit vite. quid addam
Omnes quos terra videas pubeſcere fructus?
Nunc agedum viridi quoniã conſedimus antro
Arboribus clauſo circum, atq; perennibus vndis,
Confectos recita nobis ex ordine verſus
De paſtore tuo: quos prima luce libenter
Audiſſem, niſi me multùm latrante Moloſſo
Exciſſet, tenerum lupus inſidiator ouile
Circuitu vario dum terret, & oris hiatu.

PARIS. Carminib⁹ noſtris prebes ſtudioſius aures,
Cæcus amore mei, magnis & laudibus ornas.
Sed tibi mos, (Corydon, quia vis audire) geratur.
Curator pecorum, Galli celeberrimus orbis
Syluius, Aſcræos caput inter Daphnidas effert,
Andæos inter Myconas, Siculóſq; Theones,
Vt paruos inter frutices Berecynthia pinus.
Cerata quoties prætexit arundine carmen,
In numerum Fauni, Satyri, faciléſq; Napeæ
Ludunt, & molles agitat Diana choreas,
Compoſitóſq; leui dat Apollo corpore motus:
Haurit & attenta vocales aure camœnas
Grex ouium, mitis planéque fit immemor herbæ.
Ille canit Nymphas, terrámq; aſpergit apricis
Floribus, & viridi fontes obnubit amictu.
Scilicet agreſtes in caulas tranſtulit aulam
Syluius. è ſtabulis labes euanuit omnis.
Antè ſagax morbum venientem intelligit, antè
Creſcentémq; videt certa ratione, manúſq;
Porrigit ægrotis medicas, releuátque dolorem.
Nulla valetudo tam deſperata, repentè
Quam non ſanarit. ſcit humum ſubſternere fronde
Molliter arborea, teneris ſegetúmq; maniplis:
Ne tentet ſcabies, turpiſve podagra bidentem.
Sudorem lauat, hirſutiſq; à vepribus arcet,
Balantúmq; gregem tonſum contingit amurca.
Quid memorem ſulphur viuum, ceraſque, picéſque,

Helleboriq; grauis, nigriq; bituminis vſum,
Atq; alias (quas ille poteſt adhibere) medelas?
Quid, ſi forſan ouis ſudore cohorruit, vnde
Cum febri rediiſſe domum notet æſtus anhelus?
Acres auertet flammas, rapidúmq; calorem:
Atque pedis venam feriet ſubtiliter imam.
Participes eius facias nos carminis, olim
Quod tu cantaſti Belgis mirantibus, & quo
Obſtupefacta ſuos tenuerunt flumina curſus:
Herboſus Scalden, reſonās Moſa, Matrona Glaucus,
Curuatúſque Sabis, lentique Axona meatus,
Qui natale ſolum liquida perlabitur vnda.
Ergò Picarda ſuo tellus ſe iactet alumno:
Iam ferit Ambianas ſublimi vertice cælum.
COR. Quādoquidē Pari, tu gaudes audire viciſſim,
Percurriq; poteſt breuiter, pronuntio carmen.
Curandi pecoris præſtat paſtoribus arte
Omnibus, & Gallas (ceu paſtoralis Apollo)
Paſcit oues, olliſque legit compaſcua rura,
Et potum paſtas agit ad vada limpida lymphæ
Sequanicæ, ſeruátque iuuans ope Syluius omni.
Hoc etiam præſtat, modici ꝙ terminus agri
Circunſcribit opes aliorum: protulit Orbem
In totum ius ille ſuum, cultúſque ſalubres:
Pérque manus aliis tradit paſtoribus artes:
Qui quoque dant aliis pecori præcepta medendo:
Vnde ſuo magnas implevit nomine terras.

Innumeros ouium cernas exire magiſtros
Illius è caulis, vt equo fortiſſima Graiûm
Corda ferunt ex Durateo, ſub funera Troiæ.
Iam riuos aperire decet, deferbuit æſtus.
Otia dum nobis ſuperabunt, plura canemus.

Carminum H. Suſſannaei SVESSIONIS FARRAGO.

AD D. PETRVM GALLANDIVM RECTOREM ACADEMIAE PARISIENSIS.

MAne pluit. madido gaudebant aëre fruges:
    Hora ſtatim (mirum) nona ſerena fuit.
Eximias agnoſcit oues bonus ille magiſter:
    Sanguine qui totum lauit ouile ſuo.
Agnoſcit, caſtáſque preces exaudit ab alto
    Aethere, quas fundunt pectora plena fide.
Orauit cælo rueret ne defluus imber,
    Sanguine Theſbæo nónne propheta ſatus?
Orauit. fuit auditus. votóque precantis
    Vndauit pluuio terra lutoſa Ioue.
Orabant pulchrum vt comitatum Rector haberes,
    Ne remoraretur triſtior imber iter.
Te CHRISTVS celebri pompa cælóq; fauente,
    Rectorem voluit Petre, redire domum.

¶ Ad Guliel. Muſtellam Bellouacum Luteciæ Gymnaſiarcham.

Maſſonis mortem mœres Muſtella, dolenter,
Mœrorem lachrymis exagitáſq; tuum.
Te fruſtra crucias, nam nobis inuida, mortis
Fata peremerunt, ferrea fata virum:
In votis vſum fuerat cui ſcire medendi,
Ciuibus vt noſtris quandoque ferret opem.
Id metuens, ex cæde virûm Mors viuere ſueta,
Quæ pulchrum ſtrages ædere ſæua putat,
Dixit, hic eripiet multos ex faucibus Orci,
Inſidijſque meis, ſi tamen ipſa ſinam.
Non faciam quin ante diem rapietur ad vmbras.
Dixerat, & ſæuo meſſuit enſe caput.
Has olim mutas arteis Muſtella, colebas:
Diuinæ ſophiæ te modò cura tenet.
Iampridem ſacro magis auctus honore, relinquis
Ante pedes CHRISTI *triſte medentis opus.*
Sermoni CHRISTI *cedunt diuinitùs artes*
Humanæ: hunc noctes, hunc meditare dies.
Patria communis (cui me puer ipſe ſacraui)
Iam ſibi Pæoniam me dare cogit opem.
Spes in te poſita & Maſſone, euanuit omnis:
In me nunc vno quæ reſidere poteſt.
Ergò voluturus Galeni ſcripta, Sororum
Abſtrahar à gremio, virgineóque ſinu.

¶ Ad Barpthol. Alexandrũ nationis Gallicanæ in Academia Pariſien. Procuratorẽ.

Sub patris imperium Macedo fortiſſimus Orbem
Subiunxit: Iuueni nec ſatis vnus erat.
Regna dedit multis: cui collibuiſſet, ademit.
Palmares ſtatuæ grandia facta docent.
Attamen haud potis eſt animi componere fluctus.
Ille voluptatum (turpe) ſatelles erat.
Amens flagrabat rapidis ardoribus iræ:
Multáque commiſit, captus amore meri.
Viuis Alexander contentus ſorte modeſta:
Cum vitijs animi fortia bella geris.
Factus inexhauſtis ſtudijs vtriuſque peritus
Linguæ, diſcipulos inficis arte rudes.
Aemathij præter linguam noménque tyranni
Ecquid habes aliud? conſtat vtrunque tibi.
Virtutum ſtipare choro, quo vixit inanis:
Oppreſſit multos, dulce iuuare tibi eſt.
Vnde magiſtratum te natio Galla creauit,
Virtuti iungens natio grata decus.

¶ Ad Marcum Roſſetũ Beaucianum.

Roſſeti cognomen habes Roſſete, poëtæ,
Qui CHRISTVM, *Paulũ, bella, ducéſq; canit.*
Proximus Heröo nuper fuit ore Maroni:
Verſibus hunc vnum cura referre fuit.
Propter idem cognomen amant Roſſete, Sorores
Te ſanctæ, & ſacro fonte labella rigant.

238

Te populus Phœbi certatim laudibus effert,
Et quod nunc audis, re fore ſperat idem.

In Ioannem Pratum Gratianop.

Exegit vxorem foras,
Vt floſculos ætatulæ
Contaminaret proximi,
Et Bellulam corrumperet.
Flagrantia oculorum capi
Cuiuſlibet puellulæ
Obſcœnus hircus aſſolet.
Profuſione quamlibet
Irretiens largiſſima,
Libidine obſtrictus fera,
Non debuit ſaxis peti?

Quibus ſtudijs applicandum ſit ingenium, ad Album.

Cur in Grammaticis vis Albe, ſeneſcere tricis?
Cur pigmenta tenent te Rhetorum?
Quid mare metiri & terras, cælúmque profundum,
Diſcere quid iuuat organicum melos?
Intempeſtiuos faciunt, faſtúque ſuperbos
Artes hæ, ſi ſint artes tamen.
Grammaticus Didymus ter mille volumina vulgo
Protulit. hic quàm multa ſuperflua
(Dij) ſcripſit! patriam cæci veſtigat Homeri:
Anacreon Veneri an Baccho magis
Vixerit addictus: Sappho fueritne Sibylla.

Non hæc quærere ridiculum putas?
Quæ nec iuſtum, nec ſapientem reddere poſſunt,
Nec caſtum, nec magnanimum virum.
Qui plus ſcire volet quàm ſit ſatis, ille profectò
Dicitur eſſe homo non bene temperans.
Diſcito quid pulchrũ, quid turpe, quid vtile, quid nõ:
Et quod te faciat ſimilem Deo.

Non eſſe mortem timendam.

Quid mortis metuis vulnera pallidæ?
Cum Dijs prælium inibis?
Eſt rem depoſitam reddere gentium
Sancto iure receptum.
Quod vitare nequis, ridiculè times.
Differri poterit, non
Vitari omniſeca falce minax, fera
Mors, cuius fuga nulla.
Hinc nec primus abis ipſe, nec vltimus:
Omnes deinde ſequentur.
Omnes antè ſuo, quotquot erant, loco
Deceſſere, coacti
Humano officio: cuius hic eſt modus.
Quo pertranſijt Orbis,
Tranſibis. nihil eſt, quod ſemel eſt graue:
Et quod non alienum.
Quàm longinqua voles ipſe perambula
Immenſi ſpacia Orbis,
Vel tranſcende iugum Caucaſeum, tamen

Eſt tandem redeundum.
Detorqueri ab eo, qui tibi creditor,
Nequaquam potes. Orbem
Intraſti poſitis conditionibus,
Vt mox iuſſus abires.

¶Sententia Ariſtotelea.

Qui tortuoſa ligna
Emendare laborant,
Obliqua dirigentes
Plus iuſto in latus vrgent
Incuruum, & vſque pergunt
Circunflectere, donec
Contorta recta fiant,
Flexu viribus acto.

¶In L. Argoum.

Leges valerent ſi modò Perſicæ,
Qui non refundit promeritis vicem,
Ingratus, accepti immemórque,
Supplicium capitis ſubiret.
Seſe coërcent munificæ manus,
Non eſſe grati pectoris vt vident,
Stratos humi quos ſubleuarant
Penè fame rabida enecandos.
Ad largiendum fit modò tardior,
Qui liberalis nuper era: quia
Plerunque cui quid fit benignè,
Imminet exitio iuuantis.

Erexit is quem ex ſtercore pauperem
Noſtro rogatu veſtra benignitas,
Sumit recuruum cornu,& audet
Dente meam lacerare famam.
Illum tuetur pugio plumbeus,
Armátque ſtultis ſe rationibus,
Telas vt exiles retundam,
Putris aranea quas retexit.
Dictum Philippi: quòd malè regium eſt
Audire, cuiquam cum benefeceris,
Non hoc nouum euênit, feramus.
Rex Macedûm tulit,& priores.

Ad Ant. Tempeſtiuum Monteacutum Claſſicum.

Quàm Montana cohors te ſit gauiſa magiſtro,
Vix capio, nedum commemorare queam.
Nam te delegit multis è millibus vnum,
Quo duce Muſarum ſacra verenda colat.
Obuenit pleno naſcenti copia cornu:
Et ſapis,& fari mente repoſta potes.
Pectoris ingenui non eſt tibi corpus inane:
Quæ voueat nato nobiliora parens?
His non contentus, ſapientem imitatus Vlyſſem,
Liquiſti patriæ cognita tecta tuæ,
Vt tu multorum mores vrbéſque videres
Prouidus,& ſophiæ conſequerêre decus.
Vidit tractantem ciuilia iura Toloſſa,

240

Audiuit Pethus verba diſerta tuæ.
Iuriſconſultos fandi doctiſſimus inter,
Inter facundos iuris honore praes.
Hinc Montana cohors legit te læta magiſtrum,
Abs te porrectam gratáque iactat opem.

Vis pudoris, ex Græco.

Non tam forma decens, teneræ cultúſve puellæ
Conciliant animos aut in amore ligant,
Quàm pudor ora decens fuſus per dulcia, prati
Vt rutilans flos, aut virgo rubénſq; roſa.

Explicatio inſignium noſtræ gentis.

Erigitur ſublimè leo, reptátque per æquor
Cæruleum. fulgent ora coruſca feræ:
Lutea quam mediam tranſuerſa repagula cludunt.
Impendent geminæ purpureæque roſæ.
Quid deſcripta notent inſignia, ſcire laboras?
Vis trucis in noſtra gente leonis ineſt.
Sed Veneris frenum pectus ſublime recepit:
Illius eſt ſacro tincta cruore roſa.
Aut vt Mercurio diſcas interprete: ſignant
Ver tibi iuge roſæ, fortia corda leo.
Omnia ſacra patri Phœbo complectitur vmbrâ
Laurea, quæ magno parta labore mihi eſt.

Ad Vincentium Gorchantum Britonem, preſbyterum.

Per te curari gaudet ſua ſacra virûm Rex,

Iuoniſque tuas audit in æde preces,
Atque Trecorenſis te cœtus eſſe ſodalem
Præſtituit, iuuenum præpoſuitque gregi.
Hæc ſunt diuini certiſſima ſigna fauoris:
Hoc eſt cur mihi te conciliare velim.

¶ Ad And. Flandrianum medicum & Conſulem Vapincenſem.

Artem nutrit honos, vt ſcribit Tullius, omneis
Ad ſtudia incendunt gloria, fama, decus.
Hoc verum fateor, quis enim diſſentiat illi?
Attamen hoc Conſul, non ſatis eſſe puto.
Nutrit honos artem, verùm digniſſima merces
Artis doctores artificéſque fouet.
His quid agam, quæris? ſtipendia debita ſolui,
Menſibus exactis iam tribus, ipſe velim.

¶ Ad Craſſum Conſiliatorem Sabaudium.

Nanciſci dignos Craſſi cognomine mores
Cum velles, geminæ tunc patuere viæ.
Poſt Syllam occurrit ditiſſimus ille Quiritum,
Vt cuius poſſet ſumptibus agmen ali:
Ingredere huc dixit, tibi nam Sors omnia mecum
Indulgebit, opes magnificáſque dabit.
Contemplatus iter cæcum, catus ire recuſas:
Terrebant animum Parthica bella tuum.
Viſus adeſt poſthæc facundæ Lucius artis
Craſſus honos, Cicero quem meminiſſe ſolet.

241

Ille tibi ærumnas, curam, verúmque laborem
Propoſuit: párerent quæ tibi ſumpta, decus:
Et quæ nobilibus donarent ſecula factis.
Me quanti Cicero fecerit (inquit) habes.
Accenſus dictis, cognominis addis honorem,
Inque tuo Craſſus Lucius ore ſedet.

Ad Io. Tornemolanũ Sueſſionem.

Ne noceat iam maturis vredo racemis,
Vinitor approperat condere muſta domi:
Vnde dies habeo vacuos, animúmque labore,
Quo ſoleo pueros erudiiſſe rudes.
Ergo deeſt quod agam? torpenti Muſa ſoporem
Exprobret? & fiam temporis ipſe reus?
Abſit id. hiſtorias noſtræ paro ſcribere gentis:
Vrbs quo condita ſit principe, quóve modo.
Mentio clarorum fiet ſpecioſa virorum,
Quos inter ſanctum tu quoque nomen habes.
Nomen habes, calamúſque meus non ſupprimet olim,
Creſcet cum numeris & tua fama meis.

Ad G. Puteanum Medicum.

Me nuper ventris morbus tentauit acutus,
Qui nulla patitur me requiẽte frui.
Triſte colon medici vocitant, ego tormina dico,
Artubus à tortis tormina nomen habent.
Per ventrem volui ſerpens ſinuoſa videtur:
Differor, vt partu fœmina fracta ſuo.
Ad noſtram incumbes animo ſtudióque ſalutem:

Nanque abs te ſolo ſpes mihi firma datur.
Te mecum Phœbi ſoboles Puteane, precatur.
Demerſum morbo qualibet effer ope.

ℭNequitia mulierum.

Delon amator adit, precibúſque oracula poſcit,
Quo melior fiat dura puella modo.
Illa meos gemitus ſublato vafra cachinno
Excipit, & votis lenta reſiſtit, ait.
Fac iuuenis quod præcipiam, reſpondet Apollo,
Vlciſci rigidum pectus vt ipſe queas.
Lætitiam ſimules, vretur & illa viciſſim:
Si te ridentem viderit, ægra gemet.

ℭAd Bucerum Hernicum debitorem.

Quàm ſint vxorum maledicta moleſta maritis,
Cùm tibi ſit coniunx, te quoque ſcire puto.
En mea, quòd tenui procedat veſte, querelas
Ore iacit, paci nec ſinit eſſe locum.
Sic tecum noſtri pereunt ingrate, labores?
(Inquit) & ætatis flos ſine fruge perit?
Cùm vix ſuppedites, quo vel mea membra tegantur,
Et tantùm pannis obſita, turpis eam.
Putida quæ meretrix non eſt ornatior? aut quæ
Non meliore tegit corpora ſerua toga?
Vili nupſiſſem cerdoni, cultior eſſem,
Sollicitúſque magis coniugis ille foret.
Temnis me (vt video) atque aliam deperditus ardes,
Induit & cultus mœcha ſuperba meos.

242

Veſtimenta tibi quæſiſti ſerica, panno
  Vix tegor, vxorem quis putet eſſe tuam?
Quottidie verbis mihi talibus obſtrepit vxor,
  Atque alijs, longus quæ recitare labor.
Vociferans etiam lateri ſua brachia figit,
  Vt cingunt anſæ vaſis vtrunque latus.
Falſò damnato conuitia talia fecit.
  Quid faciam, cùm nil muta crumena ſonet?
In loculis tenues contexit aranea caſſes:
  Debita ſi ſoluas, comptior vxor erit.

¶ In poëtam rapicium.

Si vino rapum præfers, cur guttura ſæpe
  Vina rigant, raro rapa Poëta, comes?

¶ Ad iuuentutem ſui ſtudioſam.

Ex me Phœbæam ſi vis didiciſſe poëſim,
  Hoc (Epicharmus ait quod ſapienter) habe.
Vt capias à me cordata iuuenta, viciſſim
  Des aliquid, manus eſt ſueta fricare manum.

¶ In Lodoicum Argoum.

Si nuptiarum nocte prima te fouet
  Hominum benignitas pia,
Per longiora ſpatia quid credis fore?
  Mendicus annos exiges.

¶ Laus poëtarum.

Vt res diuinæ peragi non ritè putantur,
  Lympha niſi ſacris & ſuus ignis adeſt:
Sic res geſta ducis nequit inclareſcere vulgo,

Illa poëtarum ſit niſi nota manu.

Ex Seneca.

Ferto libens æquóque animo, quod ferre neceſſe eſt,
Omnis vincetur (ſi patiare) dolor.
Triſtities abſit, vel ſaltem corde prematur.
Non ſtudeas multis, ſed placuiſſe bonis.
Clàm moneas, quos ipſe palàm laudabis amicos.
Audi cuncta libens: verba rogatus, habe.
Imprimis Venerem, ventrem, linguámque coërce.
Eſſe cupis notus, ſit tibi nemo priùs.
Fac nulli dicas, quod tu vis vſque taceri,
Te lenior quatiet ſcilicet inde metus.
An celaturos alios ſtultiſſime, ſperas,
Quæ non de lingua polliceare tua?

Ad Io. Galterum Trecoreñ.

Sponte ſua labens facile eſt percellere plauſtrum,
Vt, Galtere, virûm trita loquela refert.
Pellitur ad caſum ſubitò in radice reuulſa
Arbor, & impulſu corruit illa leui.
Sponte ſua currens, ad curſum concitus ibit,
Calcari leniter ſi ſtimuletur equus.
Sponte puto te velle bonis doctiſque fauere,
Vt docto faueas, quæſo, bonóque viro.
Sic mens hortatus ſi quid profecerit, illud
Non vanum, verbum feceris eſſe vetus.

Ad Gul. Muſtellam Bellouacum Gymnaſiarcham.

243

Si petere Heſperias quiſquam contenderet vrbes,
Aut à Phœniſſa mœnia ſtructa duce,
Conſuleret gnaróſque loci, gnaróſque viarum,
Incertus ne ſtet, quod pede calcet iter.
Sic ego, qui ſtatui magnum maris æquor arare,
Ignotaſque mihi ſolicitare vias,
Scilicet hiſtorias contexere carmine noſtras,
Dactyliciſque vrbem concelebrare modis,
Ad te confugio, flos delibate bonorum,
Incumbit patriæ cui pia cura tuæ.
Hactenus id quod ago, tentauit nemo priorum:
Mens audax magno digna fauore mea eſt.
Impertire mihi quod legeris. audio librum
Gallorum lingua, quo iuuer, eſſe tibi:
Cui titulus ſit de noſtræ fundamine gentis:
Vnde vrbs, mons, flumen, natio nomen habent.
Vtendum ad paucas, ſi cordi eſt, miſeris horas.
Poſthac & gratum me memorémque ſcies.

De Numa 2. rege Rom.

Tot Numa cælitibus magnum ſtipauit Olympum,
Vt ſibi nil reliquum fecerit eſſe loci.

Ad Car. Stephanum Medicum.

Iactatur febri non ampliùs vxor, ab illa
Conualuit, tantùm pallor in ore ſedet.
Aegroti capitis magnos tamen illa dolores
Suſtinet, & querula languida voce gemit.
Non vlla triſtem morbum requiête relaxat.

Dant nullum finem nóx ve diéſve malo.
Solus id exhaurire potes, reuocare quietem
Amiſſam, medicam (ſi placet) affer opem.

Ad Ioannem de Iouengnes Prætorem Sueſſion.

Iam ſumpto calamo mens eſt iniecta canendi
Grandia, non Elego concipienda leui.
Sit quibus vrbs noſtras autoribus ædita quondam,
Quæ natura, ſitus quis ſit, opéſque canam:
Quàm ſit cum primis deſcriptio pulchra domorum:
Quæ miranda, alijs viſa nec illa locis.
Id conor Ioueni, Muſarum & Apollinis auſpex,
Conſilij lucem porrige, quæſo, tui.
In medium confer quod habes, & oportet habere
Nam dici nolis hoſpes in vrbe tua.

Elegia Niſi ob ſibi ſubtractam à parentibus puellam.

Mors tenebris adoperta veni, mete pallida noſtrum
Falce caput, tenebris Mors adoperta veni.
O CHRISTE, hãc animã tenebroſo carcere laxa,
In proprium gliſcit mœſta redire locum.
Mecum prolixos Mortales, ædite fletus,
Inſtar vt irrigui fontis ocellus eat,
Si vos humani poſſunt attingere caſus,
Flectere ſi quenquam ſors aliena poteſt.
Sublatam ex oculis, gremio thalamóque puellam
Lugeo. lugendi non ea cauſa grauis?

Dulcior illa mihi vita eſt, mihi charior arce
Syderea. Ditem ſi petat illa, ſequar.
O pater ingenuæ ſobolis. tua tradita nobis
Pars fuit & matris. tradidit ipſa ſuam.
Tota mihi ceſſit: ne differ reddere, vitam
Reſtitues, meme reſtituéſque mihi.
Tangere non liceat, Genio tamen ora tueri
Grata ſuo, Genium ni magis illa iuuant.
Aſpectu dulci mœſtum ſolabor amorem:
Linea amatorum prima, videre fuit.
Hoc illúdque tamen tribues, curámque leuabis:
Patria non Tmarus eſt, te fera nulla tulit.
Te pater egregius genuit, ſanctiſſima mater
Aedidit, in molli natus es ipſe ſolo.
Non tibi crudelis pater eſt, matérve Suſanna,
Ille ſui ſexus ſplendor, & illa ſui.
Adde quòd alterius (me viuo) coniugis vxor
Non potes eſſe, Dei te ſacra vincla ligant.
Forſan in exili latitans infantulus aluo,
Abſentem paruo quæritat ore patrem,
Ore relaturus roſeo faciéque parentem,
Qui ſpolium niueæ virginitatis habet.
Cur mihi ſubtraheris? Solem non nubila pellunt,
Infuſcant atro quando colore Polum.
Quos CHRISTVS *iunxit, diſiungēt iurgia nata,*
Cum promiſſa mihi, dos repetita foret?
Si bene te noui, vel vtrunque Suſanna parentem,

Deſertum repetes chara futura torum.
Nam Niſus quàm te deſiſtat amare, videbis
Candida nigra prius, dextera læua prius.
Antè peribit opus diuûm formoſa puella,
Gaudia quàm tua me non meminiſſe iuuet.
Inuideo vobis nimiùm felicibus ædes,
In quas candidulum ponit amica pedem.
Inuideo vobis, digitis quas contigit, eſcæ:
Sic ô lecte, tibi, qui mea vota tenes.
Quòd mea non mecum domina eſt, tabeſco dolore,
Et calor, infuſo frigore mortis, abit.
O pater hœdorum fœlix, ſempérque beate,
O magni pecoris taure, beate pater.
Vaccula non deſiderio necat vlla maritum.
Hœde pater, tecum læta capella tua eſt:
Seu per prærupt os montes, valléſve pererras,
Molliter eſt charo fœmina iuncta mari.
Cur mea non mecum eſt? naſcendi ſors mea læua!
Reſpicite infauſtum pectus vterque parens.
Hîc ne plura querar, riuorum more fluentes
Impediunt lachrymæ, comprimit ora dolor.

Ad Canonicos Sueſſiones.

Imparibus numeris puras attingere laudes
Geruaſi cupio, quem ſacer ordo, colis:
Fortiter vt pulſem venerandæ tympana famæ,
Venturiſque parem vatibus ipſe viam.
In tenebris erit exemplorum plena vetuſtas,

Illuſtret radijs ni ſacra Muſa ſuis.
Doctarum Romæ coluerunt fana Sororum,
Verſibus ornarunt & monimenta nouis.
Fuluius exuuias Muſis ſacrauit, in hoſtes
Ennius Aetholos quem comitatus erat.
Flectitur immanis numeroſo bellua cantu,
Reſpondent vatum grandia ſaxa ſonis.
Quin commendamur diuino munere vates,
Afflatúque ſuo ſpiritus intus agit.
Vos igitur nobis linguáque animóque fauete,
Quos ſemper doctis velle fauere ſcio.
Prætereà hiſtoriam, ſacra quæ clauditur arca,
Mittite: quæ proſa eſt, hæc quoque carmen erit.

Ad Robertum Bethunæum Sueſſ.

Cum tibi cognato nobis pia vincula amoris
Ogerio, quartus vix abit annus, erant.
Tu mecum pariter vis conſuetudine iungi,
Muſarum caſtris & cupis eſſe comes.
Quod mihi pergratum. videor mihi cernere mentem
In te, cognati conſiliúmque tui.
Odryſias cum Pierijs conglutinat artes,
Militiæ vt fiat commodus atque domi.
Hos animos Roberte, tuos volo tradere famæ:
Quòd nec ab egregijs degeneraris auis.

Ad Ioan. Cocquetæum Remen.

Fratres & conſanguineos noſtratibus eſſe
Cæſar ait Remos, nec, puto, vanus ait.

Illi multarum commercia maxima rerum
  Nobiſcum ſocio fœdere ſemper habent.
Et noſtras ſibi connubio iunxere puellas,
  Inque vicem ex illa duximus vrbe domum.
Ex illis cum ſis antiqua ſtirpe profectus,
  Arguat & mores forma venuſta pios:
Cum me ſis ſolitus ſtudioſe audire docentem,
  Diſperea m ſi non ſemper amare velim.

Ad Petrum Anglum Abbauillæum.

Perſequitur cantu dulci & tibicine laudes
  Ethnicus obſcœni ritus & acta Iouis.
Perſequeris laudéſque Dei, laudéſque piorum,
  Chriſtigenûm Claria muſicè Petre, lyra.
Hæc portenta poëtarum conuincere ſcriptis
  Conuenit, & verum concinniſſe Deum.
Quod dum ritè facis, retinentur cantibus aures
  Angelicæ, doctas ſuſpiciúntque manus:
Organicus Victoris honor dum perſonat ædem:
  Dum docili digito nablia blanda feris.

De Petro Alite.

Vrania Petrus productè protulit ales,
  Hinc ore frendet Grammatiſtarum cohors:
Vraniam breuibus medijs ait eſſe ſonandum,
  Et obſtinatè poſſe porrigi negat.
Sæpe legi curtas non inficiamur, eaſdem
  Protraxit in ſuis opuſculis Maro:
Ipſe quod obnixus, poſſum contendere verum,

Fide vetuſti codicis ſcripti manu.
Picus Ioannes (Italos non nomino plures)
Agnoſcit illam lectionem cum Fabro.
Hoc non Petre, putes hodie mirabile. Ranæ
Veterem querelam ſemper in limo canunt.
Littera ἰῶτα *ſuis legitur communis & ἄλφα:*
Ride igitur illud, βρεχε κε κεξ κοαξ κοαξ.

In ἀλώπηκα.

Patria Niuernenſem prius te credidi,
Beaucianum poſteà:
Sed fama loquitur eſſe te Gaſtinium.
Vt credo, neſcis vnde ſis.
Non curo ſeu ſis Aethiops, ſeu ſis Scytha,
Orcóve pallido ſatus.
Mores ſceleſti te ſatis notabilem
Reddunt, cicatrix & tuo
Obducta naſo, marcida & ſublurida.
Non te latet vbi exceperis
A ſellularia & recellicluuia
(Quæ glubit addictum) lupa:
Quam tu ſaginas pane, caſeo, mero,
Et carnibus penarij:
Quæ tradis illi fur domeſtice & rapax,
Cum ferris inguinum impetu.
Non plura dicam, flere ne muliebriter
Trux atque lamentarier
Cogat te Iambus: ipſe læſus quod facis.

Rebúſve deſperans, cauum
Abijcere ne in puteum velis te, quod ferunt
Voluiſſe iam plus millies.
Spectris feritur oculus horridis tuus.
Non ſanus ipſe es, conuoca
Medicos (in Acmen quo Catullus irruit)
Imaginoſum tu ſoles.

Ad Ioannem Demarethum.

Vt ſperata tibi contingat gloria Doctor
Mi præſtans, vulga condita ſcripta domi.
Prodeat in lucem confecta Paraſtaſis almam,
Lucubrata tibi ſátque ſupérque fuit.
Fac ex te diſcat metrorum Gallica legem
Pubes, fac ſcriptis culta ſit ipſa tuis.
Syllabici exemplum proponito temporis, ætas
Quod nondum vidit noſtra, iuuenta legat:
In commune, queo quicquid dare, confero: Doctor,
Diſcipuli niſu permoueare tui.

Ad Ioan. à Galtero Britonem.

Quòd tam ſolerter coniungis Græca Latinis,
Laudo conatus ingeniúmque tuum.
Laudo quòd officio doctos quocunque mereris,
Quòd ſanctè vatum ſcripta, piéque colas.
Eſt in te magè quod laudo mirórque, repentè
Attonitis nobis factus es alter homo:
Factus es ex Veneris ſectatore pudicus,
In ſumma, frugi fis ab inerte ſitu.

247

Hoc Euangelij ſermo penetrabilis egit:
Omnia cui cedunt verba diſerta virûm.

Ad Antonium Monachum.

De morte nati pertuliſti nuntium
Triſtem mehercule & grauem:
Gratiſſimum feciſſe te tamen puta.
Dolore conſolabili,
Mors eius anxit: námque mortalem mihi
Natum ſciebam infantulum.
Eſt ſatius etiam quod ſemel ſciri decet,
Audire tempore & loco:
Exhauriatur mente maturè vt dolor,
Illam ex ſtatu qui dimouet.
Alium viciſſim nuntium affero tibi,
Longéque diuerſum à tuo.
Iam iam appropinquat partus vxoris meæ,
Grauidæ ferè menſes nouem.

Ad Bertrandum Floriotum Britonem.

Euadis Bertrande tuo cognomine dignus,
Et plus quàm nomen ſignificarit habes.
Eſt collecta tibi ſpecie virtutis honeſta
Gratia multorum, plauſibiliſq; fauor.
Ex te ſuauis odor, veluti de floribus horti,
Afflatur, qualem vertice Cypris olet.
Flacceſcunt alij flores: ô floſcule veræ
Virtutis, viridi ſemper honore nites.

Ad Nicol. Ligeretum Matiſconen.

Blande puer, formoſe puer, puer optime, profert
  virtutem, quiſquis te Ligerete, vocat.
Dij locupletarunt animi te dote bonorum,
  Index virtutis candida forma tuæ eſt:
Index eſt linguæ moderatio. dicere cunctis
  Naturæ præſtans experientis opus.
Ergo puer diuûm fœlicibus vtere donis,
  Et doctas artes artificéſque cole.

❡ Ad Hieronymum Tarquinum.

Vxorem Tarquine, petis quo tempore duxi,
  Méque ſtupes collum ſuppoſuiſſe iugo.
Implicitus pridem ſcortis, luſtriſque, videbar
  Verborum laqueo vix potuiſſe capi.
Cuncta bona narrabo fide: Tranſcendere montes
  Mens erat Auſtrinos, nix vbi dura iacet.
Langæi fortiſque ducis, doctique vocatu
  Rectum ad Taurinos ingrediebar iter.
Iámque per Allobrogum tranſibam horrentia ſaxa,
  Iam procul à tergo Gallia diues erat.
Mœnia contigeram, nequeo quæ dicere verſu,
  Certa ſed oſtendam ſigna, notáſque loci:
Alluit hunc Iſare flumen ſinuantibus vndis:
  Cui montis rigidi prominet altus apex.
Omnibus Allobrogum populis hic iura Senatus
  Dicit, & hic cœtus patrius vſus init.
Hic vt me ciues retinerent, ferre calorem
  Me prærupta nimis per iuga poſſe negant.

Muſarum ſtudium mirè frigebat in vrbe
Principe, me ludo præpoſuere ſuo.
In quibus vt facerent hærere diutius oris,
Compede connubij detinuiſſe parant.
Vt fugias (aiunt) contagia labis Iberæ,
Néve alijs oneret te Cytheræa malis,
Vxorem volumus caſtam propriámque dicare:
Quæ tecum lætos exigat vſque dies.
Tunc dixi per ridiculum me velle. ſolebam
Sic, quoties talis ſermo coortus erat.
Serius illorum ſermo fuit. exitus aptè
Rem probat. haud longum tempus abire ſinunt.
Sub noctem cum candidulis epulabar amicis,
Quàm ſoleam longè ſplendidiore modo.
Namque ſodalitium ſumpſiſſe meracius vrſit,
Largius & vinum puluerulenta via.
Euocor ex epulis. miror. num ſtare placeret
Promiſſo rogitant. vix memor eius eram.
Staturum dixi, ſuberat quia cura pudoris:
Ad fanum me mox vrbs populoſa trahit.
Apprendunt duo cauſidici mea brachia, ducunt,
Quo duci nuptum more puella ſolet.
Innumeram miror populi affluxiſſe cateruam,
Vrbis ceu nuſquam cætera turba foret.
Conueniſſe puto pluſquam tria millia, metam
Nox quanuis mediam tangeret atra Poli.
Diſcuſſa eſt tædis noctis caligo coruſcis:

Fundebat dulces tibia docta ſonos.
Sacrata quæ ſum duo verba profeſſus in æde,
Conſtrictum vinclis tempus in omne tenent.
Inde virum nuptámq; ſimul ventoſa reduxit
Tibia (nos tota plebe ſequente) domum.
Poſt aliquot choreas cubitum diſceſſimus, arcto
Languida placaui membra ſopore libens.
Experrectus at ipſe ſimul cum Sole, iugales
Attonitus miror floridulóſque thoros:
Attonitus mecum quòd nuda puella iaceret,
Exhorreret adhuc quæ pudibunda virum.
Vix bis ſex annos complerat paruula, nobis
Omine cum primo virgo iugata fuit:
Signa etiam illæſæ tum virginitatis habebat.
Non potuit menſes vtilis eſſe decem.
Tandem perſenſi me ſcilicet eſſe maritum,
Quæque priùs fugi, frena recepta mihi.
Solor vincla, mihi quòd virgo tenerrima nupſit,
Serua quòd vlla ſuo non ita paret hero.

¶ Ad eundem.

Hæc ſcriptitantem vidit vxor vt mea,
Tum curioſis quid ſit oculis perſpicit.
Aegrè ferens ſe quòd iocoſè luderem,
Conſumpſit igni chartulam ſcriptam. tamen
Hærebat animo memoria. intellexerit
Hæc quo modo, ſcin'? virgo didicit litteras.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

.249

Vallensis Robertus, Commentarius in partem versificatoriam Ulderici Hutteni cum perbrevi accessione primarum et mediarum syllabarum atque specierum carminis; adjectum est ad finem compendium de accentibus et periodis, sive clausularum punctis N°. 1

250

Murmellius Joannes, Tabulae in artis componendorum versuum rudimenta N°. 2

FINE